BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
21 — D
65

MEDITATIONES SANCTI BONAVENTURÆ *CARDINALIS.*

MEDITATIONES DEVOTISSIMÆ

SANCTI

BONAVENTURÆ CARDIN.

Ordinis Minorum,

SUPER

TOTAM VITAM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.



MUTINÆ, M.DC.XC.VIII.

Typis Antonii Capponi, Imp. Epiſc.
Superiorum Conſenſu.

ILLUSTRISSIMO VIRO,

Ac Domino ſuo Colendiſſimo

CO: HORATIO DE BELLINCINIS

Antonius Capponius Bibiliopola

S.P.D.

IN tandem Illuſtriſſime Domine voti sũ compos factus; en tandem undè omnibus pandam quanti te faciam, quanta tibi debeam habeo. Scio muneris tenuitatem, ſi ad molem ſpectes, & votis meis, & ampliſſimo tuo Nomini imparem, at ſi ad animi

affectum attendas, atque ad muneris qualitatem, tibi non ingratum ſpero futurum, qualecumque hoc ſit humillimæ ergà te ſervitutis meæ ſpecimen quod exhibeo. Rei quæ agitur majeſtas, ut potè ſalutis noſtræ pretium, Scriptoris, qui hæc edidit ſanctitas nõ minus, ac doctrina, Bonaventurę ſcilicet præcipui jam militantis Eccleſię Doctoris, nunc verò triũphantis decoris ſatis, ſuperque muneris qualitatem comendant. Si verò animi affectum ſpectes, illud pro certò tene Vir Illuſtriſſime ampliora tibi daturum, ſi ampliora poſſem: Ex tenui penu tenuia donaria expromuntur. Pietati tuæ opuſculum hoc, quod undique pietatem redolet Sacrum volui. Ea, qua præcellis humanitate qualecumque hoc ſit, accipe munus; ſciaſque demum me non inconſultò de Illuſtriſſima tua Stirpe ſermonem hic prętermittere, ne modeſtiæ tuæ, quæ cęterarum virtutum in te eſt ornamen-

mentum, ingratus evadam, ſi quę & civibus, & exteris abbundè sũt nota repeterem. Vale.

Dabam Mutinę Pridie Idus Octobris 1698.

REIMPRIMATUR,

Vicarius Generalis S. Officii Mutinę.

VIDIT

Carolus Antonius Giannini.



INDEX
TOTIUS OPERIS.

MEDITANDA DIE LUNÆ.

Quomodo Angeli ſupplicarunt altiſſimo Deo pro ſalute humani generis, uſque ad miſſionem Spiritus Sancti. Pag. 1
Excitatio ad ſequentia amplectenda. 4
Meditationibus eorum, quæ præcedunt Dominum Jeſum Chriſtum, & primo qualiter Angeli pro nobis interceſſerunt apud Deum Patrem. Cap. 1. 6
Quomodo pręcepit Dominus Angelo Gabrieli facere ambaſciatam ſuam. Cap. 2. 8
Quomodo Angelus venit ad Mariam deſponſatam Joſeph. Cap. 3. 8
Qualiter Domina ivit ad Heliſabeth, ut eam viſitaret. Cap. 4. 14
De nativitate beati Jo: Baptiſtę. Cap. 5. 17

† 6 De

De reditu Mariæ Virginis ad Domum ſuam. Cap.6. 18
Qualiter Joſeph voluit Dominum dimittere. Cap.7. 18
De nativitate Domini Jeſu. Cap.8. 21
*Qualiter multitudo Angelorum nunciavit Chriſti nativitatem Paſtoribus.*Cap.9. 23
De circunciſione Domini. Cap.10. 24
De epiphania, ſive manifeſtatione Domini Jeſu. Cap.11. 26
De mora Domini apud preſepe. Cap.12. 29
De purificatione Virginis Mariæ. Cap.13. 30

MEDITANDA DIE MARTIS.

De fuga Domini in Ægyptum. Cap.14. 33
Qualiter vixit Domina cum Puero Jeſu in Ægypto morans ibi. Cap.15. 35
De redditu Domini de Ægypto. Cap.16. 37
*Quomodo Puer Jeſus rediens de Ægypto obviavit Jo: Baptiſtę in deſerto.*Cap.17. 39
De tranſitu Domini Jeſu revertẽtis de Ægypto per domum Zachariæ. Cap.18. 40
*Quomodo applicuit Jeſus Nazareth.*Cap.19. 40
Quomodo Puer Jeſus remanſit in Hieruſalem. Cap.20. 40
Quid fecerit Dominus Jeſus à duodecimo ſuę ætatis anno, uſque ad principium trigeſimi. Cap.21. 44
De itinere Domini Jeſu ad Baptiſmum, & de ipſo Baptiſmo. Cap.22. 47

De

De jejunio, & tentationibus paſſis à Domino in Deſerto. Cap.23. 49
De adminiſtratione facta per Angelos Domino Jeſu Chriſto. Cap.24. 51
Quomodo Jo: oſtendit Jeſum digito, & de reverſione Chriſti ad Matrem. Cap.25. 52

MEDITANDA DIE MERCURII.

Quomodo Dominus Jeſus legit in Sinagoga, & quomodo cœpit paulatim ſe manifeſtari. Cap.26. 53
De prima vocatione Diſcipulorum Joan: 1. *De ſecunda Luc.* 3. *De tertia Matth.* 4. Cap.27. 54
De mutatione aquæ in vinum facta ad nuptias. Cap.28. 56
De vocatione Joannis Evangeliſtæ de nuptiis. Cap.29. 59
Quomodo ivit Dominus Capharnaum cum Matre, & Diſcipulis ſuis. Cap.30. 60
De ſermone Domini in Monte. Cap.31. 60
De Servo Centurionis à Domino curato. Cap.32. 61
De Paralitico miſſo per tectum, & à Domino liberato. Cap.33. 62
De ſocru Symeonis liberata à Dño. Cap.34. 64
De dormitione Domini in Navicula. Cap.35. 64
De filio Viduę à Dño ſuſcitato. Cap.36. 65
De Puella ſuſcitata. Cap.37. 66
De converſione Mariæ Magdal. Cap.38. 67

Quo-

Quomodo Joannes miſit Diſcipulos ſuos ad Jeſum. Cap. 39. 70
De obitu beati Jo: Baptiſtæ. Cap. 40. 71
De locutione Domini Jeſu cum Samaritana. Cap. 41. 75
Quomodo Dominus Jeſus fuit ductus uſque ad ſupercilium Montis. Cap. 42. 77
De cura illius qui habebat manum aridam. Cap. 43. 77
De multiplicatione panis. Cap. 44. 78
De fuga Domini Jeſu, quando fugit honorem regium. Cap. 45. 80
Quomodo ivit Dominus Jeſus ſupra Mare, dum ejus Diſcipuli periclitabantur in medio Maris. Cap. 46. 82
De muliere Chananea. Cap. 47. 83
Quomodo aliqui propter verba Domini ſcandalizati fuerunt. Cap. 48. 84
De retributione relinquentium omnia, & exemplum Chriſti, & Apoſtolorum ſequentium. Cap. 49. 85
Qualiter Dominus quæſivit, quid diceretur de ipſo. Cap. 50. 86
De transfiguratione Domini Jeſu. Cap. 51. 87
De ejectione ementium, & vendentium in Templo. Cap. 52. 87
De paralitico ſanato ad Piſcinam. Cap. 53. 88
Quomodo Diſcipuli Jeſu eũtes per ſata evellebant Spicas, & comedebant. Cap. 54. 90

ME-

De miniſterio Mariæ, & Marthæ. Cap. 55. 91
De parabola vineæ, & cultorum, qui nuncios domini occiderunt, & de parabola lapidis angularis; & quomodo Dominus aliquando blandis, & aliquando duris utebatur ſermonibus. Cap. 56. 92
De cœco juxta viam ſedente illuminato à Domino, fide, & importunitate orationis. Cap. 57. 93
De Zachæo, & qualiter Dominus converſabatur cũ peccatoribus humiliter. Cap. 58. 94
De cœco à nativitate illuminato. Cap. 59. 96
Qualiter Dominus abſcondit ſe. & exivit de Templo, Judæis illum lapidare volentibus. Cap. 60. 96
Quomodo Dominus exiſtens in Porticu Salomonis receſſit trans Jordanem exiens de manibus Judæorum, illum lapidare volentium. Cap. 61. 97
De reſuſcitatione Lazari. Cap. 62. 98
Quomodo Pontifices, & Phariſæi collegerunt concilium, ut Jeſum morti traderent, & qualiter abiit in Effraym. Cap. 63. 102
Qualiter Judæi mulierem in adulterio deprehenſam adduxerunt ante Jeſum, volentes eum ponere in perplexitate. Cap. 64. 103
Quomodo Dominus Jeſus cœnavit in domo Symonis, ubi Magdalena unxit caput ejus, & pedes. Cap. 65. 104
De adventu Domini in Hieruſalem ſuper

Aſel-

Aſello. Cap.66. 106
Qualiter Dominus Jeſus intravit in Hieruſalem. Cap.67. 108
Qualiter Domina, & Magdalena inſtabant die mercurii in ſero, ut Domininus faceret Paſcha cum eis, & quòd non iret in Hieruſalem. Et qualiter Dominus eis revelavit tempus ſuæ paſſionis. Cap.68. 109

MEDITANDA DIE VENERIS, ET SABBATHI.

Incipiunt Myſteria Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

De cena Dñi facta cũ Diſcipulis. Cap.69. 112
De ablutione pedum Diſcipulorum. Cap.70. 115
De ſacratiſſimi Corporis Domini Jeſu inſtitutione. Cap.71. 116
De ſermone Domini, quem in die cœnæ fecit Diſcipulis ſuis. Cap.72. 117
De oratione Domini in Horto, & ejus ſudore ſanguineo. Cap.73. 119
Quomodo Judas applicuit cum Turba ad Jeſum, & ductus eſt ad Pontifices. Cap.74. 121
Quomodo Dominus Jeſus dirè flagellatur à Miniſtris, & quomodo Joannes revertitur ad Dominam, annuncians quæ fiunt Domino Jeſu. Cap.75. 124
Quomodo ducitur Dñs ad Pilatum. Cap.76. 125
Qualiter Dominus reductus ad Pilatum, fuit flagel-

flagellatus, & veſte rubea indutus, coronatus, cum arundine in manu. Cap.77. 127
Quomodo Dominus crucifigitur præſente Matre. Cap.78. 131
Qualiter Longinus latus Domini aperuit, & quomodo Domina timebat, ne frangerentur ei crura. Cap.79. 136
Qualiter Dominus depoſitus fuit de Cruce, & quid egit Domina. Cap.80. 139
Quomodo Dominus ſepelitur. Cap 81. 144
Quomodo redeunt ad Montem Syon. Cap.82. 145
Qualiter Petrus venit mane ſabbathi ad Dñam, humiliter petens veniam de ingratitudine ſua, & ſimiliter alii Apoſtoli. Cap.83. 148
Quomodo Magdalena, & altera Maria iverunt ut ungerent Jeſum; & quomodo deſcendit Dominus Jeſus ad Inferos, & quid ibi egit. Cap.84. 151

MEDITANDA DIE DOMINICÆ.

De reſurrectione Domini Jeſu, & quomodo apparuit Dominæ Matri ſuæ. Cap.85. 154
Quomodo Mariæ iverunt ad Sepulchrum, & quomodo Petrus, & Joannes cucurrerunt ad Sepulchrum. Cap.86. 156
Quomodo Dominus apparuit Mariæ Magdalenæ. Cap.87. 159
Quomodo Dominus Jeſus apparuit mulieribus ſociabus Magdalenæ. Cap.88. 161
Quomodo apparuit Joſeph. Cap.89. 161
Quomodo apparuit Jacobo min. Cap.90. 162

Quo-

Quomodo apparuit Petro, eum cum dolore perquirenti. Cap. 91. 162
Quomodo Dñs Jeſus ivit ad Paradiſum delitiarum viſitare ſãctos Patres. Cap. 92. 163
Quomodo Dominus junxit ſe duobus ex Diſcipulis ſuis in modum peregrini. Cap. 93. 164
Quomodo Dominus Jeſus intravit ad Diſcipulos januis clauſis abſente Thoma. Cap. 94. 167
Quomodo Dominus Jeſus rediit ad ſanctos Patres. Cap. 95. 169
Quomodo iterum apparuit Diſcipulis præſente Thoma. Cap. 96. 170
Quomodo iterum apparuit Diſcipulis in Galilæa, & quid eis impoſuit. Cap. 97. 171
Quomodo Dominus Jeſus apparuit Diſcipulis piſcantibus, & iterum rediit ad ſanctos Patres. Cap. 98. 172
De Aſcenſione Domini. Cap. 99. 175
De lætitia Curiæ Cœleſtis de Aſcenſione Domini. Cap. 100. 179
Quomodo Dña cum Diſcipulis juſſu Angelorum rediit in Hieruſalem, & de ingreſſu Dñi in Paradiſum. Cap. 101. 180
De miſſione Spiritus Sancti. Cap. 102. 183
Modus, & ordo tenendus in ſupraſcriptis meditandis. Cap. 104. 184

PRO-

PROHEMIUM

In Meditationibus Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti,

Ubi Miles devotus hortatur ad ipſius Domini Jeſu amorem, & ipſius beneficia continuè recolenda, præcipuèque ad meditandam ipſius ſacratiſſimam Paſſionem. 187

Devotiſſimæ Meditationes ſuper ſacratiſſimam Paſſionem D. N. J. C.

Prima Meditatio de adventu Domini Jeſu in Hieruſalem ſuper Aſinam, & ejus introductione in Civitatem, cum canticis, & laudibus; & reverſione ejus in Bethaniam eadem die. 196

Meditatio de reverſione Domini Jeſu in Hieruſalem, poſt diem Palmarum, & de multiplici prædicatione in Templo, & de conſilio facto per Judæos de ipſo occidendo, & de oblatione facta per Judam. 205

De præparatione cœnę facta per Diſcipulos, die jovis, & lotione pedum Diſcipulorum per ipſum Jeſum facta, ac de multis actibus exemplaribus ipſius Jeſu in ipſa cœna. 211

Meditatio, quomodo Dominus Jeſus poſt lotionem pedum, mirabile Sacramentum ſui Corporis, & Sanguinis inſtituit, & Diſcipulos communicavit, & de multiplicibus ipſius Sacramenti laudibus. 222

Me-

Meditatio, quomodo Dominus Jeſus poſt communicationem Diſcipulorum prædixit eis ſe eadem nocte per unum ex eis tradĕdum; & de eleganti ſermone, quem fecit, quouſque perrexit ad hortum. 228

Meditatio de receſſu Domini Jeſu à cœnaculo poſt cœnam, & aſceſſu in montem Oliveti cum Diſcipulis; & de trina ejus oratione facta in Horto. 235

Meditatio, quomodo ſurgens Dominus Jeſus ab oratione, venit obviam Judę, & de turbis venientibus ipſum comprehendere, & quomodo captus fuit, & abſciſione auriculæ facta per Petrum. 246

Meditatio quomodo Dominus Jeſus captus, & ligatus ductus eſt ad domum Annę, ubi alapa percuſſus fuit, & quomodo Diſcipuli omnes fugerunt. 255

Meditatio, quomodo Dominus Jeſus à domo Annæ ad domum Cayphæ ductus eſt. Et de deriſionibus, conviciis, & flagellis ſibi ibidem illatis per Judæos. 263

Meditatio de trina Petri abnegatione facta in domo Cayphæ, & de ejus fletu pro dicta negatione. 271

Meditatio, quomodo Pontifices ſummo mane ducentes Jeſum in ſuum conſilium, multiplicia eidem convicia intulerunt. Et poſtea præſentantes eum Pilato, multipliciter accuſarunt; quomodoque Pilatus Jeſum ad Herodem miſit, à quo ſpretus eſt, & fatuus reputatus. 276

Meditatio de reductione Domini Jeſu ab Hero- do-

de ad Pilatū, & quomodo juſſu Pilati acerbè ad columnam flagellatus extitit, & ſpinis coronatus, purpura indutus, & alias multipliciter deriſus. 287
Meditatio de oſtenſione Dñi Jeſu facta per Pilatum, & ſententia mortis lata per ipſum. Ac etiam quomodo Judas triginta argenteos projecit in Tēmplum. 297
Meditatio, quomodo Dominus Jeſus Crucem portans humeris, ad montem Calvariæ ducitur crucifigendus, & de his, quæ in via acciderunt. 303
Meditatio de crucifixione acerba Domini noſtri Jeſu Chriſti, facta in monte Calvario, & quomodo ipſius veſtes à Pilati militibus ſunt diviſæ. 310
Meditatio de deriſionibus factis per Judæos Domino Jeſu, cum in Cruce levatus eſſet, & latrone ipſum blaſphemante, & de ſecundo verbo, quod in Cruce Jeſus ipſe protulit. 322
Meditatio de planctu glorioſæ Virginis Mariæ juxtà Crucem, cum Maria Magd., & Joanne Evangeliſta, cum Dñs Jeſus in Cruce levatus eſſet, ipſius quoque Domini Jeſu flebili compaſſione ad Matrem, & de tertio verbo, quod in Cruce protulit. 328
Meditatio de obſcuratione Solis circa horam nonam, & de quarto verbo, quod protulit in Cruce Dominus Jeſus. 340
Meditatio de quinto, & ſexto verbo, quod protulit in Cruce Dominus Jeſus, videlicet. Sitio, & conſummatum eſt. 343
Me-

Meditatio de expiratione Domini Jeſu circà horam nonam, & de ſignis, quæ in morte ipſius viſa ſunt; & quomodo crura Latronibus fracta ſunt, & latus ipſius Domini Jeſu lancea perforatum eſt. 348
Meditatio, quomodo Dominus Jeſus de Cruce depoſitus extitit, & de planctu ipſius meſtiſſimæ Matris, & ceterarum Mulierum, nec non & quomodo in ſepulchro etiam poſitus fuit, ubi, & quale fuerit ipſum ſepulchrum deſcribitur. 358
Meditatio quomodo Judæi, cuſtodes ad Sepulchrum Domini poſuerunt, & quomodo dum corpus ipſius in ſepulchro quievit, anima ſua deſcendit ad Inferos, ubi innumerabiles Populos liberavit. 371

LAUS DEO.

ME-


RORATE CÆLI
ISAIAS.

MEDITATIONES DEVOTISSIMÆ TOTIUS VITÆ DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI,

Secundum

S. Bonaventuram Cardinalem Ordinis Minorum.

Incipiendo quomodo Angeli ſupplicarunt altiſſimo Deo pro ſalute humani generis, uſque ad miſſionem Spiritus Sancti.

INter alia virtutum, & laudum præconia de ſacratiſſima virgine Cæcilia, legitur, quod Evangelium Chriſti abſconditum ſemper portabat in pectore. Quod ſic intelligi debere videtur: quòd ipſa de vita Jeſu in Evangelio tradita, quandam devotionem ſibi prælegerat, in quibus meditabatur die, ac nocte: corde puro, & integro: attentione præcipua, & ferventi. Completa circulatione, reincipiens iterum, & dulci, ac ſuavi guſtu ruminans ea, in archano pectoris ſui, prudenti conſilio, collocabat. Similiter etiam faciendo ſuadebat, ſuper omnia namque ſpiritualis exercitii ſtudia, magis neceſſarium, magiſque proficuum hoc cre-

credo, quod ad excellentiorem gradum perducere poſſit. Nunquam enim invenies ubi ſic doceri poſſis cõtra vana blandimenta,& caduca, contra tribulationes, & adverſa, contra hoſtium tentamenta, & vitia, ſicut in vita Domini Jeſu, quæ fuit abſque defectu. Ex frequenti, & aſſueta meditatione vitæ ipſius deducitur anima ad quandam familiaritatem, & confidentiam, & amorem ipſius, ita quòd omnia alia vilipendit, & contemnit. Inſuper fortificatur,& inſtruitur quid facere, & quid fugere debeat. Dico primo, quòd magis meditatio Vitæ Domini Jeſu roborat, & ſtabilitat mentem contra vana, & caduca, ut patet in prędicta beata Cæcilia, quæ ita cor ſuum repleverat de vita Chriſti, quod in ipſa vitia intrare nõ poterant. Unde & in pompa nuptiarum exiſtens, ubi tot vana geruntur, cantãtibus organis ipſa ſtabili corde ſoli Deo decantabat dicens. Fiat Dñe cor meum, & corpus meum immaculatum, ut non confundar. Secundo fortificat contra tribulationes, & adverſa, ut patet in Martyribus,ſecundum quòd dicit beatus Bernard. c.61. ſuper Can. Tollerantia in Martyribus provenit inde, quòd in Chriſti vulneribus tota devotio verſetur, & jugi meditatione demoretur in illis. Stat Martyr tripudians, & triumphans, totus licet laceratus corpore ferro. Ubi tunc omnia mirare, & reſpice in vulneribus

Jeſu

Jeſu vulneribus nimium patentibus ad intuendum . Si in ſuis eſſet viſceribus ferrum, profectò ſentiret, dolorem non ferret, ſuccumberet, & negaret. Bernar. Inde eſt etiam quòd non ſolum Martyres, ſed & Confeſſores in tribulationibus, & in infirmitatibus ſuis tantam patientiam habuerunt, & quotidie habent. Si legas de beato Franciſco, & beata virgine Clara, poteris invenire quomodo in multis tribulationibus, penuriis, & infirmitatibus tantam patientiam habuerunt, quòd non ſolum patientes, ſed ſupra omnem æſtimationem exiſtebant. Item quotidie videre potes in agentibus ſanctam vitam: hoc ideo, quia ipſorum animæ non erant, nec ſunt in eorum corporibus, ſed Chriſti ex devota meditatione vitæ ipſius. Tertio docet, contra gerenda, ut nec vitia, nec hoſtes irruere, vel fallere poſſint. Hoc ideo, quia perfectio virtutum reperitur ibidem, ſcilicet ejus charitatis excelſæ, paupertatis eximiæ, humilitatis profundæ; ſapientiæ, orationis, manſuetudinis, obedientiæ, patientiæ, cæterarumque virtutum. De hoc breviter Bernard. ſuper Cant. 22. ſecunde ait. In caſſum proinde quis laborat in acquiſitione virtutum, ſi aliunde eas ſperandas putat, quàm à Domino virtutum, cujus doctrina, ſcientiarum prudentiæ, cujus miſericordia opus juſtitiæ, cujus vita ſpeculum temperantiæ, cujus mors in-

ſigne fortitudinis. Idem Bern. Qui eum ſequitur errare non poteſt, nec falli. Ad cujus virtutes imitandas,& adipiſcendas, ex frequenti meditatione cor accenditur, & animatur. Deinde divina illuminatur virtute, ita quòd virtutem induit, & à veris falſa diſcernit, adeo ut plures fuerunt illiterati, & ſimplices, qui magna,& profunda Dei perſcrutati ſunt. Propterea unde credis, quòd beatus Franciſcus ad tantam virtutum copiam, & ad tam luculentam intelligentiam, & notitiam fallaciarum hoſtis, & vitiorum pervenerit, niſi ex familiari converſatione Domini Jeſu. Et propterea ſic afficiebatur ad ipſum, ut quaſi ſua pictura fuerit. Nam in cunctis virtutibus,quantum perfectius poterat, imitabatur eum, & tandem ipſo complente, atque perficiente, Jeſu per impreſſionem ſacrorum ſtigmatum,fuit in eum totaliter transformatus. Vides igitur ad quem excelſum gradum meditatio vitę Chriſti perducit. Sed tanquam fundamentum efficax, ad majoris contemplationis ſublimat gradum, quia ibi invenitur unctio, quæ paulatim purificans, & elevans animam, docet de omnibus,de quibus non eſt ſermo ad pręſens.

Excitatio ad ſequentia amplectenda.

NUnc te in ipſius vitæ Chriſti meditatione aliqualiter introducere cogita-

gitavi. Sed vellem, quòd hoc à magis experto, magiſque docto acciperes, quia in talibus maxime inſufficiens ſum. Verum meditans aliqua, utcunque dicam, melius id eſſe exiſtimans, quàm penitus tacere experientiam meam, & familiariter tecum loquar rudi, & impolito ſermone, ut melius poſſis quæ dicuntur, capere: & ut potius ſtudeam mentem reficere. Non enim in ornatis ſermonibus, ſed in Domini Jeſu meditationibus inſiſtendo, in Hieremiæ doctrinam inducimur dicentis. Sermo rudis uſque ad cor penetrat, politus autem paſcit aures. Spero autem, quòd ruditati tuæ conferet aliquid mea modicitas. Sed in hoc magis ſpero, quòd ſi te in his exercere ſedula meditatione volueris, ipſum habebis. Non autem credas, quòd omnia, quæ ipſe dixit, & fecit, meditari poſſimus. Ego verò ad majorem impreſſionem ea, ſic, ac ſi ita fuiſſent, narrabo: prout contigerit, aut contigiſſe piè credo. Poſſent ſecundum quaſdam imaginatorias repreſentationes diverſimode percipi. Nam circa divinam ſcripturam meditari, & exponere, & intelligere multifarie, prout expedire credo, poſſum: dummodo non ſit contra veritatem vitæ, juſtitiæ, vel doctrinæ, id eſt, non ſit contra fidem, vel bonos mores. Cum ergo me narrantem invenies, ita dixit, vel fecit Dominus Jeſus, vel alii, qui introducuntur, ſi per ſcripturam pro-

bari non poſſit, non aliter accipias, quàm devota meditatio exigit. Tu autem ſi de his fructum ſumere cupis, ita te præſentem exhibeas his, quæ per Dominum Jeſum dicta, aut facta narrantur, ac ſi tuis auribus audires, & oculis videres: toto mentis affectu diligenter, delectabiliter, & moroſe, omnibus aliis curis, & ſolicitudinibus omiſſis. Quare te deprecor, dilecte fili, ut hunc laborem meum, quem ad laudem Domini Jeſu, & tuum profectum, & meam utilitatem aſſumpſi, lætanter ſuſcipias, & lætantius, devotius, & ſolicitius te exerceas in eodem. Ab incarnatione igitur inchoandum eſt. Sed quædam præceſſiſſe, meditari poſſumus, tàm in Cœlis circa Deum, & Angelos, quàm in terris, circa Virginem glorioſã, quæ mihi videntur prius explicanda.

Meditationibus eorum, quæ præcedunt Dominum Jeſum Chriſtum, & primo qualiter Angeli pro nobis interceſſerunt apud Deum Patrem. Cap. I.

CUm per longiſſima tempora ultra ſpatium quinque millium annorũ miſerabiliter jaceret genus humanum, & nullus propter peccatum primi hominis aſcendere poſſet ad Patriam, beatiſſimi Spiritus angelici, compatientes tantæ ruinæ, ac de ſua reſtauratione ſoliciti, licet pluries primo: tamen adveniente

ple-

plenitudine temporis, inſtantius, & devotius taliter Domino ſupplicaverunt, procidentes in facies ſuas ante thronum ejus omnes ſimul congregati dixerunt. Domine, placuit Majeſtati veſtræ rationalem creaturam, ſcilicet hominem propter veſtram ſolam facere voluntatem, & bonitatem, ut ipſe ſolum eſſet hic nobiſcum: & nobis contingeret utilitas ex noſtrarum reſtauratione ruinarum. Sed ecce Domine, pereunt omnes, & nemo ſalvatur: quoniam tot annorum curriculis neminem vidimus. De omnibus hoſtes noſtri triumphant, & de ipſis non noſtræ ruinæ, ſed Tartareæ ſpeluncæ replētur. Ut quid ergo Domine naſcuntur? Quare traduntur beſtiis animæ confitentes tibi? Et ſi ſecundum juſtitiam veſtrā hoc fiat, tamen nunc eſt tempus miſericordiæ. Et ſi primi parentes mandatum veſtrum tranſgreſſi ſunt, ſubveniat miſeratio veſtra. Memento, quia ad veſtram imaginem, & ſimilitudinem creaſtis eos Domine. Aperite Domine miſericorditer manum veſtram, & implete eos benedictione. Oculi omnium ſpectant ad vos, ſicut oculi ſervorum ad manus Dominorum ſuorum, donec miſereamini, & ſubveniatis remedio ſalutari. Intellexit hoc Rex, & ait. Pœnitet me feciſſe hominem: hoc eſt, pœnitentiam me agere oportet pro homine, quem creavi.

Quomodo præcepit Dominus Angelo Gabrieli facere ambaſciatam ſuam. Cap. 2.

ET vocans Archangelum Gabrielem, dixit. Vade ad dulciſſimam filiam noſtram Mariam deſponſatam Joſeph, ſuper omnes creaturas nobis chariſſimã, & dic ei, quòd filius meus concupivit ſpeciem ſuam, & eam ſibi elegit in matrem, & roga eam, ut ipſum lætanter ſuſcipiat; quia per eam ſalutem humani generis operari decrevi, & oblivіſci volo injuriæ mihi factæ. Attende hic, & recordare, quæ tibi in principio ſupra dixi, ut ſcilicet diſcas omnibus, quæ fiunt, te exhibere præſentem. Hic imagineris, & aſpicias Deum, & putes quia incorporeus eſt. Sed aſpicias eum tanquam magnũ Dominum ſedentem in ſolio excelſo, vultu benigno, pio, & paterno, quaſi reconciliari volentem, ſive reconciliatum, & hęc verba dicentem. Et reſpice Gabrielem facie hylari, & jocunda, flexis genibus, & inclinato vultu, amoroſo, & reverenti, ambaſciatam Domini ſui lætanter ſuſcipientem.

Quomodo Angelus venit ad Mariam deſponſatam Joſeph. Cap. 3.

SUrgens igitur Gabriel jocundus, & gaudens, volitans ex alto, & in humana

mana ſpecie, in momento fuit coram Virgine in thalamo domunculæ ſuæ manente. Sed nec ſic cito volavit, quin prævenīretur à Domino, & ſanctam ibi Trinitatem invenit, quæ prævenit nuncium ſuum. Scire namque debes, quòd excelſum Incarnationis opus, totius Trinitatis fuit, licet ſola perſona Filii fuerit incarnata, quemadmodum ſi alicui tunicam induenti, duo ex lateribus ſtantes adjuvarent, & tunicæ manicas tenerent. Nunc ergo bene hic aſpice, & tanquam ipſi facto præſens exiſtens, intellige omnia, quæ dicuntur, & fiunt. O qualis eſt illa domuncula, ubi tales ſunt, & talia exercentur. Nam licet ubique ſit ſancta Trinitas, tamen ibi nunc aliquo ſingulari modo eſſe mediteris, ideſt ſingulares operationes. Ingreſſus ergo Gabriel paranymphus fidelis ad Dominam dixit. Ave gratia plena Dominus tecum. Ipſa vero turbata nihil reſpondit. Non fuit turbata turbatione culpabili, nec de viſione Angeli, quia ſæpe videre eos ſolita erat. Sed juxta verba Evangelii, turbata eſt in ſermone ejus, cogitans de novitate talis ſalutationis. Non enim eam ſic cōſueverat ſalutare. In qua ſalutatione cum videret, ſe de tribus commendari, non poterat humilis Domina non turbari. Commendabatur enim quòd erat gratia plena, quòd Dominus erat ſecum, & quòd erat benedicta ſuper omnes mulie-

res. At humilis non poterat ſui commendationem ſine rubore, & turbatione audire. Turbata ergo fuit ex verecundia honeſta, & virtuoſa. Cæpit etiam timere, an hoc eſſet verum, non quod non crederet, Angelum Dei vera loqui, ſed ex eo, quòd proprium eſt humilibus, qui æſtimant, ut ſic ſemper proficere poſſint, reputando magnam virtutem parvam, & parvum defectum magnum. Tanquam ergo prudens, & cauta nihil reſpondit. Nam bis prius audivit, antequam ſemel reſponderet. Abhominabile eſt enim, virginem eſſe loquacem: Angelus autem cauſam ſuæ dubitationis cognoſcens, ait. Ne timeas Maria, ne verecunderis de laudibus, quas dixi tibi: quia ſic eſt veritas, nec ſolum es gratia plena, ſed etiam toto humano generi ſalutem recuperaſti, & reinveniſti à Deo. Nam ecce concipies, & paries Altiſſimi Filium, qui te elegit in ſuam Matrem, & ſalvabit omnes in eum ſperantes. Tunc illa reſpondit, non confitendo, nec negando commendationes præfatas, ſed in alio certificari volens, de quo multo plus timebat, ſcilicet ne perderet virginitatem ſuam. Quærit ab Angelo de modo hujus conceptionis dicens. Quomodo fiet iſtud, quoniam virginitatem meam firmiſſime Domino meo devovi, nec in perpetuum hominem cognoſcam? Et Angelus. Fuit per operationem Spiritus Sancti, qui te ſingu-

ſingulari modo replebit, & ejus virtute concipies, ſalva tibi virginitate tua : & ideo filius tuus vocabitur filius Dei. Nihil enim ei eſt impoſſibile; nam & Heliſabeth cognata tua, cum eſſet ſenex, & ſterilis, jam ſunt ſex menſes, quòd filium virtute Dei concepit. Intuere enim in his pro Deo, & meditare qualiter tota Trinitas eſt, in expectando reſponſionem, & conſenſum filiæ ſuæ ſingularis: amantes, & delectabiliter aſpicientes verecundiam ejus, & mores, & verba. Et qualiter Angelus diligenter, & ſapienter inducit eam, & ordinat verba ſua ſtans inclinatus reverenter coram Domina ſua vultu placido, & ſereno, fideliter exequens ambaſciatam ſuam. Et ecce qualiter Domina ſtat timoroſa, ac humiliter facie pudoroſa. Non extollitur, neque reputat ſe dignam: & tamen audit magnalia de ſe, qualia nunquam alicui dicta fuerunt. Tandem prudentiſſima Virgo, auditis verbis Angeli, conſenſit, & cum profunda dilectatione genuflexa, & junctis manibus dixit. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Tunc Filius Dei ſtatim totus, & ſine mora intravit in uterum Virginis, & ex ea carnem aſſumpſit, & totus remanſit in ſinu Patris. Potes autem hic cogitare, qualiter ipſe Filius Dei obedientiam, & laborioſam legationem ſuſcipiens Patri ſe inclinavit, & comendavit.

Et in eodem inſtanti anima creata, & infuſa, fuit perfectus homo, ſecundum omnia corporis lineamenta, ſed parvulus valde quia in utero poſtea creſcebat, ut alii, ſed non fuit dilatata infuſio animæ, vel membrorum diſtinctio, ut in aliis. Erat etiam perfectus Deus, & ita ſapiens, & potens, ut eſt modo. Gabriel autem cum Domina ſimul genuflexit, & parum cum ea ſurgens, ſe iterum inclinans uſque in terram diſparuit, & ad patriam rediens hæc narravit; & ibi fuit novum gaudium, & novum feſtum, & exultatio magna. Domina vero tota inflammata, & in amorem Dei magis ſolito ſuccenſa, ſentiens ſe concepiſſe, genibus flexis gratias egit Domino, humiliter, & devotè ſupplicans eidem, ut eam dignaretur inſtruere, ita quòd in his, quæ circa Filium ſuum occurrerent fienda, faceret ſine defectu. Conſiderare debes hic, quanta eſt hodie ſolemnitas, & jubila in corde tuo, & age dies lętitiæ. Inaudita eſt enim uſque modo à ſæculis, nec unquam fuerat talis. Hodie namque eſt ſolemnitas Dei Patris, qui fecit nuptias Filio ſuo in deſponſatione humanæ naturæ, quam hodie ſibi Filius univit inſeparabiliter. Hodie eſt enim ſolemnitas nuptiarum Filii, & dies natalis ejus in utero, ſed poſteà ex utero. Hodie eſt ſolemnitas Spiritus Sãcti, propter opus mirificum, & ſingulare ipſius Incarnationis, quod eidem attri-

bui-

buitur. Et hodie incipit oſtendere benignitatem ſingularem humano generi. Hodie eſt ſolemnitas glorioſæ Dominæ: dominæ miſericordiæ, quæ à Patre in filiam, à Filio in matrem, à Spiritu Sancto in domum, & templum eſt recognita, & aſſumpta. Hodie eſt ſolemnitas totius Curiæ cœleſtis, quia incohatur eorum reparatio. Hodie multò magis eſt ſolemnitas humanæ Naturæ, quia ejus ſalus incipit, & redemptio, & totius Mundi reconciliatio; & ſublimata eſt, atque deificata. Hodie novam obedientiam accepit Dei Filius à Patre, de noſtra peragenda ſalute. Hodie de ſummo Cœlo egrediens exultavit ut gigas ad currendam viam, & ſe concluſit in hortulo virginali. Hodie factus eſt unus ex nobis, & frater noſter, & cœpit peregrinari nobiſcum. Hodie de Cœlo lux vera deſcendit, ad pellendas, & fugandas noſtras tenebras. Hodie Panis vivus, qui dat eſcam Mundo confricatus eſt in virginali utero, ſed in cruce, quaſi in clibano decoctus. Hodie Verbũ caro factum eſt, & habitavit in nobis. Hodie clamores, & deſideria Prophetarum, & Patriarcharum exaudita ſunt, & impleta. Clamabant enim deſiderio inenarrabili, & dicebant. Emitte Agnum, &c. Et iterum. Rorate Cœli, &c. Et iterum. Utinam dirumperes Cœlos, & deſcenderes. Et iterum. Domine inclina Cęlos tuos, &c. Et iterum. Domine,

oſten-

oſtende faciem tuam, &c. Et alia multa, quibus tota Scriptura eſt plena. Nam hodiernum diem vehementiſſime expectabant. Hodie eſt principium, & fundamentum omnium ſolemnitatum, & initium omnis boni. Nam uſque nunc indignatus erat Dominus contra genus humanum, propter tranſgreſſionem primorum parentum. Sed amodo videns Filium ejus hominem factum, non ulterius iraſcetur. Hodie dicitur eſſe temporis plenitudo. Vides quàm admirabile opus, & ſolemniſſimum feſtum ſit iſtud, totum eſt delectabile, totum eſt jocundum, totum deſiderabile, cum omni devotione ſuſcipiendum, in jubilatione, lætitia, & exultatione ducendum, & omni veneratione digniſſimum.

In his ergo meditare, delectare, & jocundare, & forte oſtendet tibi Dominus ampliora.

Qualiter Domina ivit ad Heliſabeth, ut eam viſitaret. Cap. 4.

POſt hæc recogitans Domina verba Angeli, qui dixit de conſobrina Heliſabeth, eam viſitare propoſuit ad congratulandum ei. Ivit ergo una cum Joſeph ſponſo ſuo à Nazareth ad domum ipſius, quæ diſtat à Hieruſalem per quatuor, vel quinque miliaria. Hieruſalem autem diſtat à Nazareth per ſeptuaginta qua-

quatuor miliaria, vel circa. Non enim recordabatur aſperitate, vel longinquitate viæ: ſed cum feſtinatione ivit, quia nolebat in publico diu videri. Et ſic non erat ex conceptu filii aggravata, ut aliis mulieribus communiter contigit. Non enim fuit Dominus Jeſus oneroſus matri. Conſpice igitur hic, quomodo vadit ſola cum Sponſo ſuo Regina Cœli, & ire non equo, ſed pedibus ſuis. Non ducit frequentiam militum, vel baronum, non camerariarum, vel damiſellarum comitivam. Vadunt autem cum ea paupertas, humilitas, & verecundia, omniumque virtutum honeſtas, & etiam Dominus ſecum. Magnam, & honorabilem comitivam habet, ſed non hujus ſæculi vanam, & pompoſam. Cum autem intravit domum, ſalutavit Heliſabeth. Illa vero exultans, & tota exhilarata, & accenſa Spiritu Sancto ſurgit, & amplexatur eam tenerrime, & exclamans præ gaudio, dixit. Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Quando verò Virgo ſalutavit Heliſabeth, repletus eſt Joannes in utero Spiritu Sancto, repleta eſt & mater. Nec prius repletur mater, quàm filius, licet filio repleto repleretur & mater. Non quidem in anima matris aliquid efficiendo, ſed per Spiritum Sanctū aliquid in ea, filium prænominando, eo

quòd

quòd in ipſo Spiritus Sancti gratia affluẽtior refulgebat, & prior gratiam ſenſit, quia ſicut illa Mariam, ſic iſte adventum Domini ſenſit. Et ideo exultavit, & illa prophetice locuta eſt. Vide quanta virtus ſit in verbis Domine, quia ad eorum pronunciationem cõfertur Spiritus Sanctus. Sic enim habetur, quòd ipſa erat plena, ex quo ipſe Sanctus Spiritus, ejus meritis, alios replebat. Reſpondit autem Maria. Magnificat anima mea Dominum, totum complens canticum jocunditatis, & laudis. Deinde ad ſedendum iverunt, & Domina humillima inferiori loco ſe poſuit ad pedes Heliſabeth. Sed illa incontinenti ſurgens erexit eam, & ſederunt pariter. Quærit autem Domina de modo ſuæ conceptionis, & Heliſabeth de modo ſuæ: & hæc ſibi invicem narrant lætanter, & laudant Deum de utraque conceptione, & in gratiarum actione conſiſtunt, & agunt diem letitię. Et ſtetit ibidem Domina quaſi menſibus tribus miniſtrans ei, & ſerviens in omnibus, quæ poterat, humiliter, reverenter, & devote, quaſi oblita ſe matrem Dei eſſe, & totius Mundi Reginam. O qualis locus, qualis camera, qualis domus, in qua, & in quo morantur tales Matres, talibus Filiis fęcundatæ: Maria, & Heliſabet: Jeſus, & Joannes. Sunt etiam magnifici ſenes Zacharias, & Joſeph.

De

De nativitate beati Joannis Baptiſtæ.
Cap. 5.

ADveniente ergo tempore ſuo, peperit Heliſabeth filium ſuum. Domina levavit de terra, & diligenter abluit, ut expediens erat. Puerulus autem ipſam quaſi intelligens aſpiciebat, & cũ eum matri porrigere vellet, caput ad eam vertebat, & in eam ſolum delectabatur jocunde. Conſidera hic magnificentiam Joannis. Nullus unquam talem bailam habuit, nec habebit. Multa, & magna privilegia reperiuntur de ipſo, quibus nõ inſiſto ad pręſens. Die autem octavo circuncisus eſt Puer, & vocatur Joannes, & tunc apertum eſt os Zachariæ, & prophetavit dicens. Benedictus Dominus Deus Iſrael. Et ſic in domo illa hæc duo cantica facta fuerunt, ſcilicet Magnificat, & Benedictus. Domina autem poſt aliquã cortinam, ne videretur ab hominibus, qui convenerant ad circunciſionem Joannis, auſcultabat attente canticum illud, in quo de filio ſuo fit mentio, & omnia conferebat in corde ſuo tanquam ſapientiſſima.

De

De reditu Mariæ Virginis ad domum ſuam.
Cap. 6.

DEinde rediit ad domum habitationis ſuæ Nazareth, in qua reverſione paupertatem ejus ad mentem reduc; Rediit enim ad domum, &c. in qua nec panem, nec vinum invenit, nec alia neceſſaria, ſed nec poſſeſſiones habet, nec pecuniam. Stetit his tribus menſibus cũ Heliſabeth apud illos forte opulentos. Ut autem rediit ad paupertatem ſuam, oportuit, ut propriis manibus laboraret pro victu. Compatere ergo ſibi, & in majorem paupertatem te accende.

Qualiter Joſeph voluit Dominam dimittere.
Cap. 7.

DUm autem ſimul habitarent Domina, & Joſeph ſponſus ejus; & creſcente Jeſu in utero matris, perpendens Joſeph ipſam gravidam eſſe, doluit ultra modum. Attende hic bene, quia multa bona diſcere poteris. Quod ſi dubitas, quare voluit hic Dominus matrem ſuam habere virum, qui vellet eam ſemper virginem eſſe, reſpondetur propter tria, ſcilicet ne gravida infamaretur, ut viri miniſterio, & ſocietate frueretur, & ut Diabolo partus Filii Dei occultaretur. Conſpiciebat ergo Joſeph conjugem ſuam

ſuam ſemel, & pluries dolebat, & turbatum ſe eidem multum oſtendebat, & oculos avertebat ab ea, tanquam à mala, ſuſpicans ex adulterio concepiſſe. Vide quomodo Deus permittit ſuos tribulationibus vexari, & tentari ad ipſorum coronam. Cogitabat autem eam occultè dimittere. Verè ad hoc dici poteſt, quòd laus ejus eſt in Evangelio. Dicitur enim ibi, quòd erat juſtus Vir. Magnæ namque virtutis erat. Cum enim communiter dicatur, quòd quaſi ſumma verecundia furoris, & doloris ſit viro adulterium uxoris: tamen ipſe virtuosè ſe temperabat, & eam accuſare nolebat. Patienter hanc magnam pertranſibat injuriam, non etiam vindicans, ſed pietate victus volebat eam occultè dimittere. Sed Domina pertranſivit abſque ulla tribulatione. Perpendebat enim ut videbat ipſum turbatum, & de hoc ipſa turbabatur: humiliter tamen tacebat, & occultabat Dei donum. Potius volebat reputari vilis, quam propalare de ſe aliquid, quod ad jactantiam putaretur pertinere. Rogat autem Dominum, ut ipſe remedium apponere dignaretur, & hanc ſibi, & viro ſuo tribulationem auferret. Vides, quàm magna tribulatio, & anxietas erat eis, & Dominus providit utriſque. Miſit ergo Angelum ſuum, qui dixit Joſeph in ſomnis, quod conjux ejus conceperat de Spiritu Sancto, & ideò

con-

confidenter ſtaret cum ea. Unde tribulatione ceſſante, rediit conſolatio magna. Sic & nobis contingeret, ſi in tribulationibus patientiam diſceremus habere. Nam Dominus poſt tempeſtatem tranquillum facit: nec dubitare debes, quia Dominus non permittit tribulationes ad ſuos venire, niſi pro utilitate ipſorum. Quæſivit Joſeph de hac conceptione mirifica, quam ei Domina diligenter narravit. Remanet igitur, & ſtat Joſeph gaudens cum ſua conjuge benedicta, & ultra quam poteſt dici, eam caſto diligebat amore, & curam ipſius fideliter gerit, & Domina cum eo confidenter moratur, & in ſua paupertate lætanter vivunt. Stat etiam Dominus Jeſus recluſus in utero, uſque ad menſes novem more aliorum. Stat benignus, ac patienter ſuſtinet expectans tempus debitum. Compatere ſibi, quod ad tantam humilitatem devenit. Multum debemus hanc affectare virtutem, nec unquam debemus ad elationem, vel noſtri reputationem tumeſcere, quãdo tantum ſe inclinavit Dominus Majeſtatis. Et de ſolo beneficio hujus tam magnæ prolis pro nobis recluſæ nunquã ei poſſumus digne ſatisfacere. Sed ſaltem hoc corde cognoſcamus, & gratias eidem toto corde agamus, quòd nos ex aliis aſſumere dignatus eſt, ut recluſi ſimus ad ſervitium ſuum. Ipſum quippe beneficium eſt hodie ad noſtrum meritum, &

per-

permaximum, multumque acceptabile, ac venerabile. Conemur ergo toto poſſe, mente recluſa, & abſtracta ab omnibus caducis, eidem cordis puritate vacare, quia corporalis recluſio nihil, aut parum, ſine mentali prodeſſet. Eidem etiam Domino Jeſu in hoc compatere, quòd eſt in magna afflictione, & fuit ab inſtanti ſuæ conceptionis, uſque ad mortem, ſcilicet ex compaſſione, quam habebat ad animas, ad imaginem ſuam creatas, quas videbat ſic miſerabiliter, & viliter damnari: & hæc erat ſibi major pœna, quàm fuit paſſio corporalis. Nam propter hanc tollendam, ſuſtinuit illam. Vides quomodo hic pulchra fercula tibi propinata ſunt. Si vis eorum ſentire dulcedinem, ea rumina diligenter, & ſæpe.

De nativitate Domini Jeſu. Cap. 8.

ADveniente novem menſium termino, exiit edictum ab Imperatore Auguſto Cæſare, ut deſcriberetur univerſus orbis, ſcilicet quilibet in Civitate ſua. Cumque Joſeph ire vellet in Civitatem Bethleem ſuam, & ſciret inſtare partum ſuæ conjugis, duxit eam ſecum. Vadit ergo Domina hoc longo itinere. Nam Bethleem eſt prope Hieruſalem per ſex miliaria. Ducunt autem ſecum Bovem, & Aſinum, & vadunt ſicut pauperes. Cum autem fuerunt Bethleem, (quia

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

(quia pauperes erant, & multi convenerant pro eadem cauſa) hoſpitium invenire non potuerunt. Compatere hìc Dominæ noſtræ, & conſpice ipſam delicatam juvenem (quindecim enim erat annorum) ex longo itinere fatigatam, & cum verecundia inter gentes converſantem, quærentem ubi quieſcat, & non invenientem, omnes licentiant eam. Et deinde ſic coguntur divertere ad quandam viam copertam, ubi homines tempore pluviæ divertebant. Et ibidem Joſeph, qui erat magiſter lignorum, forte aliqualiter ſe clauſit. Nunc autem diligentiſſime conſpice omnia, maxime quia referre intendo, quæ ab ipſa Domina revelata fuerunt, & oſtenſa, prout à quodam Fratre ſancto noſtri Ordinis habui: Computo enim ea revelata fuiſſe. Cum ergo veniſſet hora partus, ſcilicet in media nocte Dominicæ diei, ſurgens Virgo, applicuit ſe ad columnam, quæ ibi erat. Joſeph autem ſedebat mœſtus ex eo forte, quia non poterat, quæ libebat, parare. Surgens ergo, & accipiens de fœno præſepii, projecit ad pedes Dominæ, & vertit ſe ad aliam partem. Tunc Filius Dei æterni exiens de Matris utero, ſine aliqua moleſtia, & læſione, in momento ſicut erat in utero, ſic fuit extra uterum, ſuper fœnum ad pedes Virginis matris. Et Mater incontinenti ſe inclinans, & colligens eum, & dulciter amplectens,
poſuit

poſuit in ſuo gremio, & ubere de Cœlo pleno à Spiritu Sancto edocta lactavit, & linivit ipſum totũ lacte ſuo ſancto. Quo facto, involuit eum in velo capitis ſui, & poſuit eum in præſepio. Tunc Bos, & Aſinus flexis genibus poſuerunt ora ſua ſuper pręſepium flantes per nares, ut quaſi ratione utentes cognoſcerent, quod Puer ſic pauperrime contectus, calefactione, tanti frigoris tempore indigebat. Mater vero flexis genibus adoravit eundem, & gratias agens Deo, dixit. Gratias tibi ago Domine ſancte Pater, qui Filium mihi dediſti: & adoro te Deus ęterne, & te Filium Dei vivi. Joſeph etiam ſimiliter adoravit, & accipiens ſellam Aſini, & extrahens de ea cuſinum de lana, ſive de borra, poſuit juxta præſepe, ut Domina ſuper ipſum ſederet. Ipſa verò ſe ibi poſuit ad ſedendum, & ſellam poſuit ſubtus cubitum, & ſic ſtabat Domina Mundi, tenens vultum verſus præſepe ex toto affectu ſuper dilectum Filium ſuum.

Qualiter multitudo Angelorum nunciavit Chriſti nativitatem Paſtoribus. Cap. 9.

NAto Domino, Angelorum multitudo ibi exiſtens natum Dominum adoraverunt, & cõfeſtim ad Paſtores iverunt, qui erant ibi forte per miliare, nunciantes eis ipſam nativitatem, & etiam locum. Exinde aſcenderunt in Cœlum

cum

cum canticis,& jubilis,& concivibus eam ſimiliter nunciantes : totaque ſuperna Curia, ex illa hora, magno facto feſto, laudibus, & gratiarum actionibus Deo Patri exhibitis, venerunt omnes cives Curiæ Cœleſtis, qui erant in Cęlo, ſucceſſive ſecũdum ordines ſuos, videre faciem Domini Dei ſui, & adorantes cum omni reverentia, & etiam Matrem ejus, laudes perſonabant. Quis enim eorum auditis novis manſiſſet in Cœlo, quin viſitaſſet Dominum ſuum conſtitutum in terra? In nullo hæc ſuperbia cadere potuiſſet. Et ideo dicit Apoſtolus. Et cum introduceret Primogenitum in orbem, dicit. Et adorent eum omnes Angeli Dei. Hic de Angelis meditari jucundum puto, qualitercunque ſe habuerit veritas. Venerunt etiam Paſtores,& adoraverunt eum, referẽtes quę audierant ab Angelis. Mater vero prudentiſſima, omnia quæ de ipſo dicebantur, conſervabat in corde ſuo. Illi autem gaudentes abjerunt.

De circuncisione Domini. Cap. 10.

OCtavo autem die venerunt, ut circuncidcrent Puerum. Duo magna hodie facta ſunt: unum, quod manifeſtatum eſt nomen ſalutis, & quod ab æterno impoſitum erat, ab Angelo nunciatum, priuſquam conciperetur. Hodie fuit declaratum, & nunciatum, & vocatum nomen

men ejus Jeſus. Jeſus autem dicitur Salvator, hoc eſt nomen ſuper omne nomen. Nunc enim, ut ait Apoſtolus Petrus, non eſt aliud nomen ſub Cœlo, in quo oporteat nos ſalvos fieri: ſecundum quod hodie factum fuit, quia incepit Dominus Jeſus ſuum ſacratiſſimum ſanguinem hodie pro nobis effundere; intempeſtive enim incepit pro nobis pati, qui peccatum non fecit, pro nobis hodie dolores portare incepit: Compatere igitur ei, & plora cum illo; quia fortiter ploravit: Nam in ſolemnitatibus iſtis, multum debemus gaudere, propter noſtram ſalutem, ſed multum compati, & dolere, propter ſuas anguſtias, & dolores. Audiſti in nativitate quantam anguſtiam, & afflictionem habuit, audis quia hodie ſanguinem ſuum fudit. Fuit enim caro ipſius cum cultello lapideo inciſa, nonne ergo compatiendum eſt ei? Et etiam Mater ploravit: Puer Jeſus ploravit propter dolorem, quem ſenſit in carne ſua. Nam veram carnem, & paſſibilem habuit, ſicut cæteri homines. Sed eo plorante, credis, quòd Mater potuerit ſe à lachrymis continere? Ploravit ergo & ipſa, quam plorantem Filius ſtans in gremio ejus aſpiciens parvulam manum ſuam ad os, & vultum ejus ponebat, quaſi nutu, vel ſigno rogans eandem, ne ploraret: quam enim teneriime diligebat, à ploratu ceſſare volebat. Similiter & Mater, cujus

viſcera totaliter commovebantur in dolore, & lachrymis, & nutu, & verbis conſolabatur eum. Intelligebat enim tanquam prudentiſſima voluntatem ejus, quamvis nondum loqueretur. Et dicebat. Fili, ſi vis me à ploratu ceſſare, ceſſa & tu: non enim poſſum te videre plorantem, & non plorare. Et tunc ex compaſſione Matris, Filius à ſingultibus deſiſtebat. Mater verò ipſius, & ſuos abſtergebat oculos, vultumque vultui applicabat. Lactabat eum, & omnibus, quibus poterat modis conſolabatur: & ſic faciebat quoties plorabat. Quod forte ſępe puerorum more faciebat, ad oſtendendum miſeriam naturę humanę, quam aſſumpſerat veriſſime, & ad occultandum ſe, ne à Diabolo cognoſceretur. Cantat namque Eccleſia de ipſo. Vagit Infans, &c.

De epiphania, ſive manifeſtatione Domini Jeſu. Cap. 11.

DIe autem tertiodecimo Puer Jeſus manifeſtavit ſe gentibus, & magis, & Regibus illis, qui gentiles erant. Venerunt ergo iſti tres Reges cum multitudine magna, & honorabili comitiva, ad illud tugurium, in quo natus eſt Puer Jeſus. Domina ſenſit ſtrepitum, vel tumultum, & accepit Puerum. Intrant illi Reges ad Pueri cullam, genua flectunt, & ado-

adorant Puerum Jeſum reverenter. Vide quàm magna fuit eorum fides. Quid enim erat credere, quod ille Puerulus ſic viliter indutus cum paupercula Matre inventus, & in loco ſic abjecto, ſine ſocietate, ſine familia, ſine omni ornatu, eſſet Rex, & Dominus verus, & tamen utrumque credunt tales duces, & talia primitiva oportebat nos habere. Stant igitur genuflexi coram eo, & colloquuntur cum Domina per interpoſitam perſonam, vel per ſeipſos, quia ſapientes erant, & forte linguam Hebraicam ſciebant. Quærunt ab eadem Domina de conditionibus iſtius Pueri. Domina narrat; & illi omnia credunt. Conſpice bene eos, quàm reverenter, & curialiter ſtant, & loquuntur, & audiunt. Aſpice etiam Dominam, quia cum rubore eſt in verbis, & colloquutionibus iſtis, & ſtat oculis ad terram demiſſis, & cum verecundia loquitur. Non enim delectabatur loqui, vel videri. Dominus dedit ei vigorem in hoc magno opere, quia illi repreſentabāt ſanctam Eccleſiam futuram ex gentibus. Reſpice etiam Puerum Jeſum, nōdum loquitur, ſed ſtat cum maturitate, & gravitate tanquam intelligens, & benigne reſpicit, & illi multum delectantur in eo, tam viſu mentali, tanquam edocti, & illuminati ab eo, quàm corporali, quia ſpecioſus forma præ filiis hominum. Tandem conſolatione magna

recepta, offerunt aurum, thus, & myrrham. Aperientes etiam theſauros ſuos, & ponentes aliquem pannum, vel tapetum ante pedes Domini Jeſu, obtulerunt ſcilicet in perſona quilibet eorum illa tria in maxima quantitate, præcipue de auro; alias autem pro parva oblatione non oportuiſſet aperire theſauros, & tunc reverenter, & devotè deoſculati ſunt pedes ejus. Tunc Puer ſapientiſſimus, ut eos magis conſolaretur, & in amore ſuo roboraret, porrexit deoſculandam ejus manum, & ſignavit etiam eos, & benedixit. Illi ergo ſe inclinantes, cum magno gaudio receſſerunt, & per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. Quid autem de illo auro factum putas, quod erat ſic magni valoris? Nunquid Domina reſervavit ſibi, aut depoſitum fecit? Vel nunquid emit domum, & agros, vel vineam? Abſit. Non curat de talibus paupertatis amatrix. Zelans igitur Domina paupertatem fortiter, & intelligens Filii voluntatem tam intus docentis, quàm foris ſigna oſtendentis, quia multum forte advertebat, & vilipendebat, totum infra paucos dies pauperibus erogavit. Grave enim erat ei tenere, vel differre, unde & totaliter expedivit, ita quod quãdo intravit Templum, non habebat unde agnum emeret, quem offerret pro Filio, ſed emit vel turtures, vel columbos.

De mora Domini apud præſepe. Cap. 12.

EXpeditis igitur Magis, & verſus patriam ſuam regreſſis, & tota oblatione eorum pauperibus erogata, adhuc ſtat Domina Mundi, cum Puero Jeſu, & nutricio ſancto Joſeph ſene, apud præſepe, in illo loco patienter, & humiliter uſque ad quadrageſimum diem. Stabat igitur Domina more aliarũ mulierum dictam diem expectans ingreſſura Templum. Stabat vigilans, & attenta ſuper cuſtodia dilecti Filii ſui. O Deus, cum quanta diligentia, & ſollicitudine ipſum gubernabat, ut non eſſet illi defectus. Cum quanta reverentia, & pio timore etiam ipſum tractabat, quem ſciebat eſſe Dominum ſuum. Flexis genibus accipiebat eum, & reponebat eum in cunis. Cum quanta etiam jocunditate, confidentia, & cura materna ipſum amplexabatur, & oſculabatur. Stringebat etiam dulciter, & delectabatur in eo, quem credebat eſſe filium ſuum. Quam ſæpe, & quam curioſe intuebatur in eum, in vultum, & in ſingulas partes ejus ſacratiſſimi corporis. Quam prudenter componebat membra ipſius. Sicut enim fuit humillima, ſic & fuit prudẽtiſſima. O quàm libenter eum lactabat. Stante Domina ad præſepe, ſta & tu cum ea, & delectare frequenter cum Puero Jeſu, quia virtus de illo exit.

Quælibet anima fidelis, maxime religioſa, deberet à die nativitatis Domini, uſque ad purificationem, ſaltem ſemel in die apud dictum præſepe Dominam viſitare, & orare Puerum Jeſum.

De purificatione Virginis Mariæ. Cap. 13.

ADveniente autem quadrageſima die, prout in lege ſtatutum erat, exiit extra Domina cum Puero ſuo, & iverunt à Bethleem in Hieruſalem, ut ſecundum legem ſiſterent eum Domino. Vade & tu cum eis, & adjuva portare Puerum Jeſum, & conſpice attente ſingula quæ dicuntur, & fiunt, quia devotiſſima ſunt. Veniunt ergo ad Templum Domini. Cumque intraſſent, emerunt duas turtures, aut duos pullos columbarum, ut offerrent pro eo, ſicut pro pauperibus fiebat. Et quia erant pauperrimi, credendum magis eſt de pullis columbarum, quia pro minori pretio ſolent inveniri. Et ideo in lege ponuntur ultimo loco. Et Evangeliſta tacet de agno, quia erat oblatio divitum. Et ecce Symeon inſpiratus intus à Spiritu Sancto, venit ad Templum, ut ſicut reſponſum acceperat, videret Chriſtum Dominum. Cum autem feſtinaret veniens, & vidiſſet eum, ſtatim cognovit prophetico ſpiritu, & accedens genuflexit. Puer autem erat intra brachia Matris, & benedixit eum, & aſpi-

aſpiciens Matrem, inclinavit ſe, oſtendens ſe velle ad eum ire. Quod Mater intelligens, quamvis admirans, porrexit eum Symeoni. Ille autem gaudenter, & reverenter in ulnis ſuis eum ſuſcipiens, ſurrexit benedicens eum, & dicens. Nunc dimittis ſervum tuum, &c. Et prophetavit de paſſione ipſius. Supervenit & Anna prophetiſſa, & adorans ſimiliter, de illo loquebatur. Mater vero ſuper his admirans, omnia conſervabat in corde ſuo. Deinde Puer Jeſus extendens brachia verſus Matrem, ad eam rediit. Poſtea vadunt ad Altare, profeſſionem facientes, quæ repreſentatur per univerſum mundum. Procedunt alacriter illi duo venerabiles ſenes Joſeph, & Symeon, tenentes per ſe manus: & cum exultatione magna jubilantes, & pſallentes, dicebant. Confitemini Domino quoniam bonus, &c. Quoniam hic eſt Deus Deus noſter. Sequitur virgo Mater portans Regem Jeſum, & Anna ſociat eam. Vade ex latere cum reverentia, jubilans cum gaudio, & laudans Deum. Ab iſtis ergo fit proceſſio, paucis quidem, ſed valde magnis, & repreſentantibus, quaſi de omni genere hominum. Cum autem perveniunt ad Altare, Mater cum reverentia genuflexit, & obtulit dilectiſſimum Filium ſuum Deo Patri ſuo dicens. Accipite Pater excellẽtiſſime Unigenitum veſtrum, quem ſecundum mandatum veſtræ legis,

offero vobis, quia primogenitus meus eſt. Sed rogo Pater, ut eum mihi reddatis. Et ſurgens dimiſit ſuper Altare. O Deus qualis oblatio eſt iſta, nunquam à ſæculo talis facta fuit, nec erit. Reſpice bene ſingula. Stat Puer Jeſus ſedens ſuper Altare, ſicut quilibet alius puerulus, & facie Matrem reſpicit: & alios humiliter, & patienter expectat, quid deinceps fieri debeat. Advocantur Sacerdotes, & redimitur Deus tanquam ſervus, quinque ſiclis more aliorum. Siclus erat genus monetæ, quibus à Joſeph Sacerdoti ſolutis, Mater lætanter recepit Filium. Accepit etiam de manu Joſeph dictas aves, ut eas offerret, & genuflectens, & tenens eas manu ſua elevata, oculiſque in Cœlum porrectis, eas obtulit dicens. Accipite clementiſſime Pater hanc oblationem, & hoc munuſculum, & primum donum, quod parvulus Puer veſter vobis hodie de ſua paupertate præſentat. Sed Puer Jeſus manus ſuas ad aves porrigens, oculos ad Cœlum levavit, & necdum loquens, geſtibus una cum Matre offerebat, & poſuerunt eas ſuper Altare. Vidiſti quales oblatores ſunt iſti, Mater, & Filius? Numquid potuit talis (quamvis parva) oblatio repudiari? Abſit. Sed potius per manus Angelorum fuit in ſuperna Curia præſentata, & valde accepta, ita quod tota jubilans exultavit. Poſtea Virgo beata diſceſſit de Hieruſalem, &

viſi-

viſitavit Heliſabeth volens videre Joannem, antequàm de partibus illis diſcederet. Vade tu ſemper cum ea, quocumque ierit, coram Domino ſi forte benedixerit tibi. Aliquibus autem diebus ibi mora contracta, diſcedunt volentes redire Nazareth. Si autem in prædictis vis informari de humilitate, & paupertate, conſidera oblationem Redemptoris, & legis obſervationem, & de facili poteris advertere.

De fuga Domini in Ægyptum. Cap. 14.

DUm pergerent verſus Nazareth neſcientes adhuc ſuper hoc conſilium Domini: & Herodes pararet ſe, ad necem Pueri Jeſu: Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens ei, ut cum Puero, & Matre fugeret in Æpyptum, quia Herodes volebat animam Pueri perdere. Joſeph vero evigilans, & excitans Matrem dixit ei. Ipſa vero incontinenti ſurgens, nulla mora contracta, voluit iter arripere. Concuſſa ſunt enim ad hanc vocem omnia viſcera ejus: & etiam circa ſalutem Filii ſui nolebat negligens inveniri. Igitur incontinenti cęperunt ire verſus partes Ægypti. Conſpice, & meditare prædicta, & quomodo dormientem Puerum Jeſum allevant, & compatere eis. Et attende hic diligenter, quia multa bona conſiderare potes in præſenti

negotio. Primo conſidera, quemadmodum Dominus in ſua perſona ſuſcepit cuncta proſpera,& adverſa; & cum ſimile tibi contigerit,non ſis impatiens. Nam juxta mortem invenies valere. Ecce, enim in nativitate ſua, Chriſtus magnificatus fuit à Paſtoribus tanquàm Deus, & parum poſt, circunciſus fuit tanquàm peccator. Deinde venerunt Magi,ipſum plurimum adorantes, & ipſe nihilominus in ſtabulo permanens, ſtat inter Beſtias, & plorat,ut alicujus hominis filius. Poſtea preſentatus fuit in Templo,quem multum extulerunt Anna, & Symeon. Cum ergo conſolationem habueris, tribulationem expecta, & è converſo. Unde in eis nec extolli, nec frangi debemus. Dat ergo Deus conſolationem, ad ſpem ſublevandam, ne deficiamus: & tribulationem ad humilitatem conſervandam, ut cognoſcentes miſeriam noſtram, ſemper in ſuo ſtemus timore. Ad noſtram igitur inſtructionem; ipſum hoc feciſſe meditemur. Conſidera, quomodo Dominus permittit ſuos tribulationibus, & perſecutionibus vexari. Nonne erat magna tribulatio Matri, & Joſeph, cum viderent Puerum ad occiſionem quæri? Quid ergo gravius audire potuerunt? Erat enim in eis hæc tribulatio: quia licet ſcirent ipſum Dei Filium eſſe, tamen poterat ſenſualitas eorum turbari, & dicebant. Domine Deus omnipotens,quid opor-

oportet, quod iſte Filius tuus fugiat? nonne potes hic eum defendere? Et in hoc erat eis tribulatio, quia in terram longinquam oportebat eos ire, quum ignorabant, & per vias aſperas: Domina propter juventutem, Joſeph propter ſenectutem. Ipſe enim Puer, quem portare habebant, vixerat duorum menſium: & peregrinari habebant in terram alienam pauperes, & nihil habente. Reſpice, quod omnia iſta ſunt afflictionis maternæ. Fugiebat ergo Dominus à facie ſervi Diaboli: portabat eum Mater tenera, & juvenis valde. Et ſanctus Joſeph ſenex in Ægyptum per viam ſilveſtrem, & obſcuram, nemoroſam, aſperam, & inhabitatam, per viam etiam valde longam. Sed quomodo faciebat de victu? ubi etiam, vel quomodo de nocte quieſcebant, & hoſpitabantur? Raro enim domos in illo deſerto inveniebant. Compatere ergo eis, & adjuva Puerum Jeſum portare; & ſervias in omnibus, quibus potes.

Qualiter vixit Domina cum Puero Jeſu in Ægypto morans ibi. Cap. 15.

IVerunt ergo ad quandam Civitatem, & ibidem aliquam domunculam invenerunt, & habitaverunt ibi per ſeptem annos tanquàm peregrini, & advenæ, pauperes, & egeni. Legitur autem de

Domina, quod colo, & acu quærebat ſibi, & Filio neceſſaria, Domina Mundi paupertatis amore. Multum ſuper omnem modum iſti paupertatem dilexerunt: & eidem perfecte uſque ad mortem fidem ſervaverunt. Conſpice bene Dominam Mundi in laboribus ſuis ſvendo, filando, & texendo quomodo facit ea diligenter, humiliter, atque ſollicite: habendo nihilominus diligentiſſimam curam ſuper Filio ſuo, & ſuper gubernatione domus: nec non vigiliis, & orationibus juxta poſſe ſemper fuit intenta. Toto igitur affectu eidem compatere, & conſidera, quod non habuit gratis Regnum Domina Regni. Sed aliquoties forte contingebat, quod aliquæ bonę matronæ videntes ejus paupertatem, & ſanctam, & honeſtam ejus converſationem, aliqua tranſmittebant eidem, quæ humiliter, & cum gratiarum actione recipiebat. Sed & ſanctus Joſeph ſenex aliquid operabatur in arte lignaminis. Undique compaſſiones occurrunt. Maria cum lachrymis, & compaſſione magna, valefaciens eis, quia ſine aliqua cauſa remanent ad peregrinandum: ibidem per ſeptemque annos in ſudore vultus ſui vixerunt.

De

De reditu Domini de Ægypto. Cap. 16.

COmpletis ſeptem annis, quibus Dominus peregrinatus eſt in Ægypto, Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens. Tolle Puerum,& Matrem ejus, & vade in terram Iſrael. Defuncti ſunt enim qui quærebant animam Pueri. Qui accepit Puerum, & Matrem ejus, & rediit in terram Iſrael. Et cum fuit ibi, audiens quòd Archelaus filius Herodis regnaret ibi, timuit illo ire. Et ideo monitus ab Angelo, ivit in Galileam Civitatem Nazareth. Fuit autem reditus ejus circa feſtum Epiphaniæ, ſcilicet ſecunda die, ſecundùm quòd Martyrologio legitur. Modo diligenter attende, quia pia meditatio eſt valde. Redeas igitur in Ægiptum, cauſa viſitādi Puerum: ipſe videns te, ſtatim occurret tibi, quia benignus, affabilis, & curialis eſt. Tu vero genufleɛtens, deoſculare pedes ejus, & tunc dicet tibi. Data eſt nobis licentia redeundi ad terram noſtram, & cras hinc recedere debemus: bona hora veniſti, & redibis nobiſcum; cui alacriter reſpondeas. Ex hoc te multum gaudere: & quòd eum optas ſequi quocunque ierit. Meditari iſta forſitan alicui puerile videbitur, & aliquis forte arridebit de hoc, tamen exiſtimo quòd multum valent, & ad majora tranſmittunt. Poſtea Domi-

nus

nus Jeſus adducet te ad Matrem; tu vero genuflectens, fac ei reverentiam, & ſancto ſeni Joſeph, & requieſcas cum eis. Mane ſequẽti videbis aliquas bonas matronas de contrata, & etiam homines venientes ad ſociandum eos uſque extra portam civitatis, propter placibilem, & ſanctam converſationem ipſorum. Prædixerat enim diſceſſum ſuum, per viciniam per plures dies, quia non erat conveniens, quòd ſubito quaſi furtim recederet. Incipiunt igitur recedere, & Joſeph cum hominibus præcedit, & Domina ſequitur à longe cum matronis. Tu vero accipiens Puerum per manum, vade in medio ante Matrem. Cum autem ſunt extra portam, Joſeph non patitur plus ſociari. Vere hìc eis compati potes, cum ille, cujus eſt terra, & plenitudo ejus pro ſe, & Matre, & Nutricio ſuo ſic paupertatem artam elegerit, & in tanta penuria vixerit. Multũ enim relucet paupertas ſanctiſſima in eis, ut eam nobis amabilem, & imitabilem oſtenderent. Tandem gratias eis agentes redeunt. Sed quomodo rediit Puer Jeſus adhuc infantulus tenerrimus? Difficilior mihi videtur regreſſus, quàm acceſſus. Nam quando venit in Ægyptum, ita parvulus erat, quòd portari poterat; nunc autem ſic magnus, quòd portari non poteſt, & ſic parvus, quòd per ſe ire non poteſt. O Puer egregie, & delicate Rex cœli, & terræ,

quan-

quantum laboraſtis pro nobis, & quàm cito incepiſtis. Unde Propheta in perſona veſtra prędixit: pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea: penurias magnas, labores arduos, & afflictionem conſtantiſſime accepiſtis: habuiſtis voſipſum odio pro amore noſtro. Accipe igitur Puerum Jeſum, & pone ſuper aſellum, & fideliter ducas eum, & cum deſcendere voluerit, lætanter eum in brachiis ſuſcipias. Vadunt igitur per deſertum, per quod venerunt, & in ipſo itinere poteris compati eis, & reſpice eos fatigatos, & labore devictos, tam de die, quàm de nocte parum quietis habentes.

Quomodo Puer Jeſus rediens de Ægypto obviavit Joanni Baptiſtæ in deſerto.
Cap. 17.

DUm autem fuerunt prope finem deſerti, invenerunt Joannem Baptiſtam, qui jam ibi pœnitentiam agere cœpit, cum tamen nullum haberet peccatum. Meditare quomodo ſuſçepit eos alacriter, & ibi aliquantulum ſubſiſtentes comederunt cum eo illa cruda cibaria. Tandem immenſa recreatione ſpiritus habita, valefecerunt ei. Tu autem in adventu, & in diſceſſu genuflecte Joanni, deoſculans pedes, benedictionem petens, & ei te recomendans.

De

De tranſitu Domini Jeſu revertētis de Ægypto per domum Zachariæ. Cap. 18.

POſtea tranſeuntes, & euntes applicuerunt ad domum Heliſabeth, ubi magnum, & jocundum feſtum factum eſt inter eos. Et ibidem audiens, quod Archelaus filius Herodis regnaret in Judæa, timuit: & admonitus ab Angelo in ſomnis, poſtea iverunt in Galileam Civitatem Nazareth cum Maria, & Joſeph.

Quomodo applicuit Jeſus Nazareth. Cap. 19.

ECce reduximus Puerum Jeſum de Ægypto, & occurrerunt ſorores Dominæ, & alii conſanguinei, & amici ad viſitandum eos, poſtea in Nazareth remanent, & pauperem vitam ducunt. Exinde uſque ad duodecimum Pueri Jeſu ætatis annum aliquid non legitur de ipſo. Faciebat enim ſervitia Matri. Humilis Domina non habebat alium ſervientem.

Quomodo Puer Jeſus remanſit in Hieruſalem. Cap. 20.

CUm autem eſſet Jeſus annorū duodecim, aſcendit in Hieruſalem ſecundum conſuetudinem diei feſti, & præceptum,

ceptum, & durabat per dies octo. Laboravit & nunc Puer Jeſus in itineribus lõgis, & modo vadit, ut honoret Patrem ſuum Cœleſtem in feſtis ſuis. Etenim amor ſum̃us eſt inter Patrem, & Filium. Stabat ergo Dominus legis obſervans legem, & inter alios conſervans humilitatem, quaſi quidam alius pauperculus. Conſummatis autem diebus feſti, recedentibus parentibus, ipſe in Hieruſalem remanſit. Cum ergo Mater, & Joſeph per diverſas vias incedentes, veniſſent in ſero ad locum, ubi dicta complebatur, & ubi hoſpitium debebant habere, videns Domina Joſeph ſine Puero, quem cum ipſo redire ſperabat, quærit ab eo ubi eſt Puer? Et ille, neſcio quia non rediit mecum, tecum enim redire putabam. Tunc illa dolore vehementi concuſſa cum lachrymis dixit, non rediit mecum, video quòd non bene Filium meum cuſtodivi. Et velociter incipiens ire per domos quãtum decenter potuit, illo ſero, circuibat quærens de ipſo, & dicens. Vidiſtis vos filium meum? Et vix præ ardore, & dolore deſiderii ſe ſentiebat. Joſeph vero ſenex ſequebatur eandem: quo non invento, qualem quietem habere poterant? Quid enim erat perdere Jeſum? Conſpice bene ipſam, & vehementer compatere, quia in anguſtia eſt poſita anima ejus. Non ergo turbemur, quando videmus, quod Jeſus permittit tribulari non ſolum

fer-

ſervos ſuos, ſed etiam Matrem ſuam, & tribulationes ſuæ ſigna ſunt ſuæ dilectionis, & nobis expedit ante eas habere. Tandem Domina in ſe recludens ad orationem, & planctum ſe vertit, dicens. O Deus, & Pater æterne clementiſſime, vobis placuit dare mihi Filium veſtrum, & ecce perdidi eum, & neſcio ubi ſit, reddite eum mihi. O Pater, tollite mihi iſtam amaritudinem, & oſtendite mihi Filium meum, reſpicite ad afflictionem meam, & non ad meam negligentiam, incaute me habui, ſed ignorans feci, & propter bonitatem veſtram reddite eum mihi, quia ſine ipſo vivere non poſſum. O Fili dilectiſſime, ubi es? Quid eſt de te? Apud quem hoſpitatus es? Nunquid ad Patrem tuum rediiſti in Cœlum? Scio, quod Deus es, & Dei Filius, ſed quomodo mihi non dixiſti? Sed nunquid ab aliquo es quæſitus inſidioſe? Scio enim, quòd homo verus es ex me natus, & alias te ab Herode quæſitum in Ægyptum portavi, Pater tuus ab omni malo te cuſtodiat. Fili mi, propter quam ergo cauſam receſſiſti à me? O Fili mi, ne tardes venire ad me. Nunquàm ex quo natus es, uſque modo ſine te fui? modo autem ſine te ſum, & neſcio quid de te factum ſit. Tu ſcis, quia tu es ſpes mea, vita mea, & omne bonum meum, & ſine te eſſe non poſſum. Indica mihi ubi es, & quomodo te valeam invenire. Talibus,

& ſi-

& ſimilibus dictis per totam noctem anguſtiabatur ſuper dilecto Filio ſuo. Mane vero ſequenti, tempeſtive domum exeuntes, quærebant eum per circunſtantia loca: Nam per plures vias patebat reditus. Die vero ſequenti circueundo ibant per alias vias, quærentes eum inter cognatos, & notos. Quo etiam tunc non invento, Mater, quaſi ſine ſpe, anxiabatur, nec poterat conſolari. Tertia verò die redeuntes in Hieruſalem, invenerunt eum in Templo, ſedentem in medio Doctorum. Tunc glorioſa virgo Maria videns eum, exhilarata reviviſcens genuflexit, & cum lachrymis Deo gratias egit. Puer autem Jeſus videns Matrem, venit ad eam, quem ipſa inter brachia ſuſcepit, & oſculans dulciter, poſuit vultum ad vultum, & ponens eum in gremio ſuo, aliquantulum cum eo requievit, neque enim tunc loqui præ teneritudine potuiſſet. Poſtea reſpiciens in faciem ejus, dixit ei. Fili quid feciſti nobis ſic? Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Et ille. Quid eſt, quòd me quærebatis? Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Quod verbum illi non intellexerunt. Dixit ergo illi Mater. Fili volo, quòd redeamus domum, non ne vis redire nobiſcum? Et ille. Ego faciā, quod placuerit vobis, & rediit cum illis Nazareth. Conſidera in prædictis tria mirabilia valde. Primum, quod qui vult

Domino adhærere, non debet inter conſanguineos converſari, ſed ab eis diſcedere. Nam Puer Jeſus dimiſit diligentiſſimam Matrem, cum operibus Patris ſui intendere voluit, & etiam quæſitus inter cognatos, & notos non fuit inventus. Secundum, quod qui ſpiritualiter vivit, non miretur, ſi aliquando mente tepida remanet, & ſibi videatur, derelictum ſe eſſe à Deo, quod & Matri hoc contingit. Non ergo ut Mater tabeſcat, ſed diligenter eum quærat, per continuum exercitium ſpiritus in ſacris meditationibus, & bonis operibus perſiſtendo, & inveniet eum. Tertium, quod non debet quis eſſe proprii ſenſus, vel propriæ voluntatis.

Quid fecerit Dominus Jeſus à duodecimo ſuæ ætatis anno, uſque ad principium trigeſimi. Cap. 21.

REverſus igitur Dominus Jeſus de Hieruſalem cum parentibus ſuis in Civitatem Nazareth, erat ſubditus illis, & habitabat ibidem cùm eis, ab inde uſque ad principium trigeſimi anni, nec in ſcripturis reperitur, quod in toto illo tempore aliquid fecerit; quod mirabile videtur valde. Quid ergo meditabimur ipſi feciſſe? Stetit ne Dominus otioſus tanto tempore, ut nihil faceret? Si enim feciſſet, cur non fuiſſet ſcriptum, ſicut reliqua facta ſua? Sed attende hìc bene; patenter

tenter videre poteris, quod nihil faciendo fecit magnifica. Subtrahebat ergo ſe à conſortio, & converſatione hominum. Ibat ad Sinagogam, & ſtabat ibi multum in oratione, in loco viliori ſe ponens, & redibat domum. Stabat cum Matre, & aliquando Nutritium ſuum adjuvabat. Pertranſibat eundo, & redeundo inter homines, ac ſi non videret homines. Mirabantur cuncti cernentes juvenem tam ſpecioſum, qui nihil operabatur laude dignum. Expectabant enim, quod magnifica faceret, & opera probi viri. Cum enim Puer erat, proficiebat ætate, & ſapientia, coram de hominibus. Sed ecce creſcens, & perveniens ad vigeſimum annum, & etiam ad vigeſimum quintum, & ultra, nulla opera facta ſunt præſentantia, vel præcedentia ſpem aliquam probitatis, vel veritatis. Stupebant vehementer dicentes, & deridentes. Ipſe quidem inutilis eſt, ipſe eſt idiota, & homo de nihilo; ſtultus, & inſipiens, nec etiam literas diſcit. Vides, quid faciebat nil faciẽdo, reddebat ſe vilem, & abjectum (ut dixi) hominibus. Majus eſt hoc, quàm ædificare, & vincere Civitates, juxtà ſapientiam Salomonis. Melior eſt patiens, viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnator eſt urbium. Uſque igitur quo pervenias ad hunc gradum, nihil tibi videatur te feciſſe. Nam in veritate, omnes ſumus inutiles, etiam cum bene fecerimus,

mus, juxta verbum Domini, quia in hoc abjectionis gradu, nondum ſumus in veritate, ſed in vanitate. Fabricabat igitur Dominus gladium humilitatis, ſic faciẽdo, ut per Prophetam fuerat ei prædictũ. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. Senex Joſeph quærebat victum de arte lignaminis. Domina verò colo, & acu pretio laborabat, parabat victum Sponſo ſuo, & Filio: & alia expedientia faciebat. Non enim habebat ſervientem. Compatere igitur ſibi, quia ſic ſuis manibus laborare oportet. Compatere Domino Jeſu, quia ipſe eam adjuvabat fideliter, & laborabat in his, quæ poterat. Intuere eum humilia obſequia per domum facientem, & Dominam ſimiliter. Conſpice tres. Ipſi ſimul comedunt ad unam menſam per ſingulos dies, non exquiſitas, ſed pauperes epulas ſobrie ſumentes, & ſimul colloquentes. Et intuere Dominum Jeſum ſuper unum cubiculum in ſero, poſt orationem ſe componere, & per ſingulas noctes tam longiſſimi temporis, ſic humiliter, ut quicunque alius pauperculus de populo. Sic enim perſeverat quolibet ſero in hoc ſtatu. Debes etiam conſpicere Virginem in ſuo cubili ſimiliter in alia parte.

De itinere Domini Jeſu ad Baptiſmum, & de ipſo Baptiſmo. Cap. 22.

COmpletis igitur viginti octo annis ſuæ ætatis, quibus (ut dictum eſt) ſic humiliter vixerat, & abjecte, dixit Matri ſuæ, tempus eſt, ut vadam, & glorificem, & magnificem Patrem meum, & oſtendam me mundo, ut operer animarum ſalutem, pro qua huc me miſit. Confortare igitur Mater chariſſima, quia cito redibo ad te, & genuflectens cum humilitate petiit benedictionem. Ipſa verò Virgo glorioſa ſimiliter genuflectens cum lachrymis eum amplectens, tenerrime dixit. Fili mi benedicte, vade cum benedictione Patris tui, & mea. Eſto memor mei, citoque redire memento. Sic ergo reverenter eum licentiat. Vadit autem ſolus Dominus Mundi. Non enim habebat diſcipulos. Intuere ergo eum diligenter, quomodo vadit ſolus nudis pedibus, per tam longa itinera. Vadit ergo Dominus Jeſus ſic humiliter, continuatis diebus, quouſque pervenit ad Jordanem, eleemoſinam petendo per viam, ob paupertatis amorem. Non enim portabat pecuniam. Cum ergo venit ad Jordanem, invenit Joannem Baptiſtam, peccatores, & turbam magnam, quæ illuc concurrebat ad prædicationem ipſius baptizantem. Habebat enim eum quaſi

Chri-

Chriſtum. Dixit ergo ei Dominus Jeſus. Rogo te, ut me cum iſtis baptizes. Joannes vero intuens eum ſpiritu prophetico, cognoſcens timuit, & reverenter dixit. Ego à te debeo baptizari. Cui Dominus Jeſus. Sine modo. Sic nos decet implere omnem juſtitiam, non dicas hoc modo, nec me divulges, quia nõdum venit tempus meum, ſed me baptiza. Nunc eſt tempus humilitatis, non majeſtatis: & ideo implere volo omne exemplum humilitatis. Poſtquam Joannes vidit Domini voluntatem, obedivit, & eum baptizavit. Spoliat ſe Dominus Majeſtatis, ſicut quilibet alius homunculus, & mergit ſe in aquis frigidis, tempore frigoris magni, pro amore noſtro. Operatur noſtram ſalutem, conſtituens Sacramentum Baptiſmi, etiam lavans noſtra crimina, deſponſat ſibi univerſalem Eccleſiam, & ſingulariter omnes animas fideles. Nam in fide Baptiſmatis deſponſamur Domino noſtro Jeſu Chriſto, dicente Propheta in perſona ipſius. Deſponſabo te mihi in fide. Et ideo cantat Eccleſia: Hodie cœleſti Sponſo, &c. Deſcendit enim, & quievit Spiritus Sanctus ſuper eum in ſpecie Columbæ, & vox Patris intonuit. Hic eſt Filius meus, &c.

De jejunio, & tentationibus paſſis à Domino in Deſerto. Cap. 23.

POſtquam Dominus Jeſus fuit baptizatus, incontinenti perrexit in Deſertum, ſuper quendam Montem, ubi propriè dicitur quarãtena: & jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Reſpice anima Chriſtiana, quomodo vadit Jeſus in ſolitudinem: jejunat, orat, vigilat, jacet, & dormit in plana terra, & humiliter cum Beſtiis converſatur. Nam quatuor hic tanguntur, quæ ſpiritualis exercitii ſunt, & mirabiliter ſe adjuvant, ſcilicet ſolitudo, jejunium, oratio, & afflictio corporis. Et per iſta maximè pervenire poteris ad cordis puritatem, quæ puritas nimium eſt peroptanda, eo quòd omnes virtutes quodammodo comprehendit. Continet enim charitatem, humilitatem, patientiam, & cęteras virtutes, & remotionem omnium vitiorum, quia cum vitiis, vel defectu virtutis, non ſtat puritas cordis. Eſt enim puritas cordis talis, quòd per eam meretur homo videre Deum, ſicut dicit Dominus in Evãgelio. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Ipſum autem Dominũ ſæpe in hac ſolitudine conſidera, conſpiciens qualiter jacet de nocte in terra. Quęlibet enim anima fidelis deberet eum ſemel in die ad minus viſitare, maxime

ab Epiphania, uſque ad quadraginta dies, quibus ibi manſit. Completis autem quadraginta diebus, Dominus eſurivit. Tunc tentator acceſſit, volens probare eum, utrum eſſet Filius Dei. Tentavitque eum de gula, dicens. Si Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant. Sed non potuit Magiſtrum decipere. Taliter enim reſpondit, & ſic ſe habuit, quòd nec ſcire potuit Adverſarius quod volebat. Non enim negavit, nec aſſeruit, ſe eſſe Filium Dei, ſed cum authoritate ſcripturæ convicit. Et nota exemplum Domini ad reſiſtendum gulæ. Nam ab ipſa abſtinentia inchoandum eſt, ſi vitia volumus ſuperare. Unde dicitur, quòd qui gulę ſuccumbit, imbecillis ad alia vitia devincēda, vel devitanda reddatur. Sicut enim dicit Gl. ſuper Matth. Niſi prius gulam refrenet, fruſtra contra alia vitia quis laborat. Poſtea Diabolus aſſumpſit eum, & portavit in Hieruſalem. Conſidera hic, benignitatem, & patientiam Domini. Permiſit enim ſe portari, & pertractari ab illa cruenta beſtia, quia ſuum ſanguinem, & omnium amicorum ſuorum ſitiebat, ſtatuens eum ſupra pinnaculum Templi, tentabat eum de vanagloria. Vidiſti quomodo Dominus Jeſus fuit cōtractus, & tentatus; non mireris ergo, ſi nos tentamur. Deinde duxit eum ſuper Montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia Regna Mundi, & ibi eum de-

ava-

avaritia tentavit, ſed minime ſuperavit.

De adminiſtratione facta per Angelos Domino Jeſu Chriſto Cap. 24.

Victoria autem facta, venerunt Angeli, & miniſtrabant ei. Hic autẽ diligenter attẽde, & conſpice Dominum comedentem ſolum, circunſtantibus Angelis. In Monte illo non erat habitatio hominum, nec cibi parati, ſed aliunde Angeli parata cibaria portaverunt, ſicut dicitur in libro Danielis. Venerunt Angeli in multitudine magna ad Dominum Jeſum, & adorantes eum prociderunt in terram, dicentes. Salve Domine Jeſu Deus noſter, & Dominus noſter. Et Dominus humiliter, & benigne recepit eos, & cum capitis inclinatione dicunt ei Angeli, Domine multum jejunaſtis, quid vultis vobis paremus? Et ille. Ite ad Matrem meam chariſſimam, & ſi habet aliquid ad manus deferte, quia nullo cibo ſic libenter veſcor, ſicut de ſuis. Tunc duo de ipſis pergentes in momento fuerunt cum ea, & eam reverenter ſalutantes, modicum pulmentum, quod ſibi, & Joſeph paraverat, & tobaliam cum aliis oportunis portant, & forte Domina aliquos piſciculos procuravit Reverſi ergo poſuerunt in plana terra, & menſæ benedictionem peragunt. Conſpice eum bene in ſingulis, quæ agit. Sedet enim in ter-

ra compoſitè, ac curialiter, & ſobriè comedit. Circumſtantes Angeli miniſtrabant Domino ſuo. Alius ſervit de pane, alius de vino, alius parat piſciculos, & alii cantant de canticis Syon, & jocundantur, & diem feſtum habent cum eo, conſiderãtes Deum, & Dominum ſuum, & totius Mundi Creatorem, qui dat eſcam omni carni. Tandem ſumpta refectione, dixit Angelis, ut reportarent res, quas acceperant, & dicant Matri ſuæ, quod citò redibit ad eam, & dixit Angelis. Redite vos ad patriam, & gaudia veſtra, me autem peregrinari oportet adhuc. Rogo enim vos, ut me commendetis Patri meo, & toti Curiæ Cœleſti. Qui procidentes in terram, & benedictionem petentes, redierunt ad Patriam.

Quomodo Joannes oſtendit Jeſum digito, & de reverſione Chriſti ad Matrem.
Cap. 25.

DOminus autem Jeſus volens redire ad Matrem, cœpit de Monte deſcẽdere. Conſpice nunc autem bene eum, quomodo ſolus vadit pedibus nudis, Dominus omnium, & ei vehementer compatere. Venit ad Jordanem, quem videns Joannes ad ſe venientem, oſtendit eum, dicens. Ecce Agnus Dei, &c. Ipſe eſt, ſuper quem vidi Spiritum Sanctum quieſcere, quando baptizavi eum. Tunc Andreas

dreas, & unus alius ex diſcipulis Joannis iverunt poſt ipſum. Benignus autem Jeſus ſitiens eorum, & omnium ſalutem, ut daret eis de ſe fiduciam, & audaciam, vertit ſe ad eos, & dixit. Quid quæritis? At illi dixerunt. Rabbi ubi habitas? Et ipſe duxit eos ad domum ſuam, in qua tunc ſe reducebat, in partibus illis, & ſteterunt una die cum eo. Poſtea duxit Andreas fratrem ſuum Petrum ad Jeſum, quem alacriter ſuſcepit. Sciebat enim quid de eo facturus eſſet, & dixit ei. Tu vocaberis cephas. Et ſic in aliqualem notitiam, & familiaritatem venit cum eis. Poſtea volens Dominus Jeſus redire in Galilæam ad Matrem diſceſſit à partibus illis, & cępit reverti. Quem etiam nunc compatiendo reſpice, & vade ſemper cum eo: nam ſolus vadit more ſolito. Cum autem domum devenit, Mater eum videns, & ultra quàm dici poteſt exhilarata ſurgit, occurrit, & eum amplectens recepit. Cui ipſe reverenter ſe inclinavit, & Nutricio ſuo Joſeph, & cum eis more ſolito remanſit.

Quomodo Dominus Jeſus legit in Sinagoga, & quomodo cœpit paulatim ſe manifeſtare. Cap. 26.

POſtquam Dominus Jeſus rediit à Baptiſmo, cõverſabatur humiliter magis quàm ante ſolitus erat, cœpit tamen

paulatim ſe manifeſtare aliquibus, prædicando, & docendo occultè. Non enim per totum annum ſequentem prędicationis officium dicitur publicè aſſumpſiſſe. Quadam igitur die ſabbathi, dum erat in Sinagoga, ideſt in Eccleſia cum aliis, ſurrexit, & legit in libro Eſaiæ locum, ubi ſcriptum erat. Spiritus Domini ſuper me, propter quod miſit me evangelizare pauperibus. Et cum explicuiſſet librum dixit. Hæc Scriptura completa eſt hodie in auribus veſtris. Conſpice igitur eum, quomodo humiliter ſuſcipiens lectoris officium, benigno, & placito vultu legit inter eos, & expoſuit Scripturam. Et quomodo humiliter ſe incipit manifeſtare, dum dicit. Hodie impleta eſt Scriptura, quaſi dicat. Ego ſum ille, de quo loquitur. Et ora omnium intenta erant in eum, propter efficaciam verborum, & aſpectum humilem, & decorum. Fuit enim pulcherrimus, fuit etiam eloquentiſſimus. Et de utroque ſicut per Prophetam dictum fuerat. Specioſus forma, &c.

De prima vocatione Diſcipulorum Joan. 1. *De ſecunda Luc.*3. *De tertia Matth.*4.

Cap. 27.

COepit etiam Dominus Jeſus vocare Diſcipulos, & ſe ſollicitum reddere circa noſtram ſalutem, ſemper tamen humilitate ſervata, & vocavit Petrum tri-

tribus vicibus: Prima, de qua dictum eſt ſupra, quando erat circa Jordanem. Ex tunc venerant ad aliquam ejus notitiam. Secunda, de Navi, quando cœperunt Piſces, ut narrat Lucas. Tunc enim ſecuti ſunt eum. Cœperunt audire doctrinam ejus. Tertia de Navi, ut narrat Matth, cum dixit. Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum. Tunc relictis omnibus, ſequuti ſunt eum. Similiter vocavit Jacobum, & Joannem in prædictis duabus vicibus ultimis. Vocavit etiã Joannem de nuptiis, ut dicit Hieronymus. Item vocavit Philippum, dicens. Sequere me. Similiter & Matthæum publicanum. De modo vocationis aliorum non eſt ſcriptum. Conſidera igitur, & conſpice eum in prædictis vocationibus, & converſatione cum ipſis, quomodo affectuoſe vocabat eos, reddens ſe eis affabilem, domeſticum, benignum, & obſequioſum. Attrahens eos intus, & extra, ducendo eos etiam ad domum Matris, & familiariter vadens ad domum eorum. Docebat etiam, & inſtruebat eos, & curam de ipſis habebat præcipuam, ſicut mater de unico filio ſuo. Dicitur, quòd beatus Petrus referebat, quòd quãdo in aliquo loco dormiebat cum eis, ſurgebat de nocte, & recooperiebat eos. Sciebat enim, quid de ipſis erat facturus. Et quàmvis eſſent homines rudis conditionis, & humilis, tamen eos principes Mun-

di, & Duces belli ſpiritualis omnium Fidelium conſtituturus erat. Conſidera hoc ideo, à quibus incœpit Eccleſia. Noluit enim Dominus eligere ſapientes, & potentes hujus ſæculi: ne ipſorum probitati aſcriberetur eorum opera, quæ fienda erant. Sibi hoc ſervavit, & ſua bonitate, potentia, & ſapientia.

De mutatione aquæ in vinum facta ad nuptias. Cap. 28.

QUamvis dubium ſit, cujus fuerint nuptiæ factæ in Chana Galilææ, ſicut Magiſter ſcholaſticæ hiſtoriæ tangit, nos tamen meditemur fuiſſe Joannis Evangeliſtæ, & ſicut in prologo ſuper Joannem affirmatur, quòd in eis Domina noſtra fuit, non tanquam invitata, & extranea, ſed quia major, & dignior, & primogenita inter ſorores, fuit ibi in domo ſororis, quaſi in domo ſua, & tanquam adminiſtratrix, & domina nuptiarum, quod ex tribus colligere poſſumus. Primum ex eo, quòd in Evangelio continetur, quod Mater Jeſu ibi erat, ſed & de Diſcipulis, & Jeſu, qui fuerunt, & ſic de aliis, qui ibi fuerunt intelligi poteſt. Cum ergo ſoror ejus Maria Salome, uxor Zebedei, iviſſet ad Dominam in Nazareth, quando volebat facere nuptias filio ſuo Joanni, illa benedicta, glorioſa, & Regina Mundi, ivit cum ea, & prævenit per

ali-

aliquot dies ad præparationem nuptiarum, ita quòd quando alii fuerunt invitati, ipſa erat ibi. Secundo, ex eo quod colligere poſſumus, quod ipſa perpendit de defectu vini. Unde non erat ſicut una de diſcumbentibus, ſed ſicut per unius manus tranſibant res: & vidit ſibi deficere vinum. Si enim tunc diſcubuiſſet, numquid juxta Filium inter homines Mater verecunda? Sed ſi alibi inter mulieres, numquid perpendiſſet defectum vini pluſquam alii? Sed ſi perpendiſſet, numquid ſurrexiſſet de prandio, ut iret ad Filium? Inconvenientia hæc videntur: Et ideo veriſſime eſt credendum, quòd non diſcubuerit. De ipſa namque dicitur, quòd erat valde obſequioſa. Tertio colligitur ex eo, quod ipſa præcepit miniſtris, ut irent ad Filium, & facerent quod mandaret. Et ſic videtur, quòd nuptiæ gubernabantur per eam, & ideo ſollicita fuit, ne defectus ibi contingeret. Igitur ſecundum hunc modum, conſpice Jeſum, inter alios comedentem, ſicut unũ quaſi de populo, & ſedentem in loco humili, non inter majores, non enim ſuperborum more volebat primos recubitus. Nam docturus erat in poſterum. Cum invitatus fueris, &c. Item primo cœpit facere, quàm docere. Conſpice etiam Dominam obſequioſam, alacrem, & ſollicitam in cunctis ordinate fiendis, & prębentem, ac oſtendentem miniſtris, quid,

& qualiter diſcumbentibus deferant. Cumque ante finem convivii redirent ad eam miniſtri, dicentes. Non habemus plus de vino, quod apponamus eis. Ipſa glorioſa Mater reſpondit. Ego procurabo, quòd habebitis: expectate parumper. Et ivit ad Filium, qui (ut dixi) humiliter ſedebat in fine menſæ prope hoſtium cameræ, & dixit ei. Fili mi, vinum hic deficit, & quia hæc ſoror noſtra pauper eſt, neſcio qualiter habere poſſumus. Reſpondit Jeſus Matri. Quid mihi, & tibi eſt mulier? Dura videtur reſponſio, ſed ad noſtram inſtructionem fuit, ſecundum Bernard. Sicut dicit in ſermone in Epiphania: quid tibi? ait illi. Nonne, quod Filio, & Matri? Quid ad illam pertineat quæris, cum ſis benedictus fructus ventris ſui immaculati? Nonne illa eſt, quæ ſalvo pudore te concepit, & ſine corruptione te peperit, in cujus utero novem menſibus moratus es: cujus virgineis uberibus lactatus es, cum qua duodecim annorum factus, de Hieruſalem deſcendiſti, & ſubditus illi fuiſti? Nunc ergo Domine, quid moleſtus es illi dicens. Quid mihi, & tibi eſt mulier? de hac reſponſione Mater non diffidens, ſed de ſua benignitate præſumens, rediit ad miniſtros, & dixit. Ite ad Filium meum, & quicquid dixerit vobis, facite. Deinde dixit Dominus Jeſus miniſtris. Implete hydrias aqua. Qui euntes impleverunt, juxta

Do-

Domini mandatum, hydrias. Quo facto dixit eis, Haurite nunc, & ferte Architriclino. In hoc autem duo notantur. Primum diſcretio Domini in hoc, quòd primo magis honorabili viro dedit. Secundum, quòd ipſe ſedebat longe ab eo, cum diceret, ferte illi, quaſi ab eo remoto. Sed cum ille ſederet in loco magis honorabili, colligere poſſumus, quod Dominus nolens ibi ſedere, nec juxtà eum, elegit ſibi locum humiliorem. Miniſtri verò dederunt, & crediderunt in eum Diſcipuli ejus.

De vocatione Joannis Evangeliſtæ de nuptiis. Cap 29.

FInito autem convivio, Dominus Jeſus vocavit Joannes ſeorſum, dicens. Dimitte hanc Uxorem tuam, & ſequere me, quia ad altiores nuptias te perducam. Qui ſequutus eſt eum. In hoc ergo, quòd Dominus nuptiis interfuit, matrimonium carnale approbavit, tanquam à Deo inſtitutum. Sed in hoc, quod vocavit Joannem de nuptiis, aperte dedit intelligere, quod longe dignius eſt ſpirituale matrimonium, quàm carnale.

Quomodo ivit Dominus Capharnaum cum Matre, & Diſcipulis ſuis. Cap.30.

REceſſit ergo inde Dominus Jeſus volens ad ſalutem omnium hominum deinceps publicè, & palam intendere. Prius autem voluit reducere Matrem in domum ſuam. Talem enim Matrem, talem ſocietatem decebat. Accepit ergo eam, & Joannem, & Diſcipulos alios, & iverunt Capharnaum prope Nazareth. Conſpice ergo eos per viam, qualiter vadunt, & pedeſtres, ſed multùm honeſtè, & pulchre. O quales duo ſunt illi, nunquid alii duo tales in terra viſi ſunt, vel fuerunt? Conſpice etiam Diſcipulos ſequētes, & auſcultantes verba Domini. Non enim erat ipſe otioſus.

De ſermone Domini in Monte. Cap.31.

COnvocatis Dominus Diſcipulis ſuis ſeorſum, aſcendit cum eis in monte Tabor, ut eos imbueret colloquiis ſuis. Decebat enim, quod eos prius, & ſuper alios inſtrueret, quos ſuper alios inſtituturus erat magiſtros, & duces. Tunc ergo de multis eos inſtruxit, & ſermo illo opulentiſſimus fuit, & copioſus; nec mirum, quem os Domini compilavit. Conſpice ergo Dominum in terra ſedentem humiliter ſuper illo monte, & Diſcipulos

circa eum. Stat inter eos, quaſi unus ex eis. Et quomodo affectuoſe, benigne, pulchre, & efficaciter loquitur eis, inducens eos ad debitos actus virtutum; & ſemper reſpice, & conſidera faciem ejus. Reſpice etiam Diſcipulos, quomodo reverenter, & tota mentis attentione aſpiciunt in unum, & auſcultant illia verba mirifica, & ea memoriæ commendant, & jocunditate magna fruũtur tam in verbis, quàm in aſpectu. In hac conſideratione jocunderis & tu, aſpiciendo, ac ſi eum videres loquentem, ac proximando eis, ſi forte vocatus immorando ibidem fueris, ut Dominus etiam te doceat. Completo vero ſermone, conſpice ipſum Dominum Jeſum una cum ipſis Diſcipulis deſcendentem de Monte, & quomodo eum ſequuntur Diſcipuli, ſicut pulli gallinam, cui quilibet, ut melius audiat, nititur approximare. Et etiam quomodo turbæ affectuoſæ ſibi occurrunt, & infirmos ſuos eidem ſanandos offerunt. Ipſe verò ſanabat eos.

De Servo Centurionis à Domino curato. Cap. 32.

CApharnaum erat quidem Centurio, ideſt dux centum militum. Miſit ergo fide plenus ad Dominum Jeſum, ut ſervum curaret. Humilis autem Dominus reſpondit. Ego veniam, & curabo

eum.

eum. Quod cum ſcivit Centurio, miſit ad eum dicens. Domine non ſum dignus, &c. Jeſus autem fidem illius videns, non ivit ulterius, & Servum abſentem ſanavit. Cum in Civitate prędicta eſſet quidam Regulus, qui ivit perſonaliter ad Jeſum rogans eum, ut veniret ad domum ſuam, & ſanaret filium ſuum, Dominus Jeſus ire noluit, filium tamen ſanavit. In his conſidera meritum fidei, propter Centurionem, & humilitatem Domini volẽtis ire ad Servum, & refugientis pompam Reguli. Plus honoravit hic Dominus ſervum Militis, quàm filium Regis. Sic nos debemus non ad aliud ſervire, nec ſecundum exigentiam exterioris pompæ, ſed ſecundum neceſſitatem, vel bonitatem ejus, qui ſervitio indiget, & non ad complacentiam, ſed ex charitate ſerviamus.

De Paralitico miſſo per tectum, & à Domino liberato. Cap 33.

IN Civitate prædicta Capharnaum, cum Dominus Jeſus doceret in quadam domo, & eſſent ibi congregati Phariſæi, & legis Doctores multi, ex omni Caſtello Judæę, Hieruſalem, & Galilææ, venerunt quidam volentes ingredi domum cum Paralitico, quem portabant, ut à Domino ſanaretur. Cumque propter multitudinem non poſſent, aſcenderunt

runt ſuper tectum domus, & inde intromiſerunt eum, & poſuerunt ante Jeſum. Dominus verò Jeſus videns fidem illorum, dixit Paralitico. Dimittuntur tibi peccata tua. Ipſi autem Phariſæi, & legis Doctores obſervabant eum ex malitia. Dicebant enim intra ſe ipſum blaſphemaſſe Deum, quia ſolus Deus poteſt peccata dimittere, & ipſe hæc attribuebat ſibi, quem purum hominem eſſe credebant. Ait ergo benignus, & humilis Dominus, ſcrutans corda, & renes hominum. Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Et addidit. Ut ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra, dimittendi peccata, dixit Paralitico. Surge, & ambula. Ille autem incontinenti liberatus ſurrexit, & omnes ſtupor invaſit. Hic potes conſiderare plura bona, & pulchra. Primum, quia ex hoc fuit convicta cœcitas Judæorum. Nam manifeſtè potuerunt cognoſcere, Dominum Jeſum eſſe Deum, qui dimittebat peccata. Secundum, quia propter peccata veniunt adverſitates, & infirmitates, & ex ſolutione peccatorum, ſolet frequenter accidere liberatio, & ſanatio corporum. Sicut habetur de curato ad Piſcinam, cui dicitur à Domino, ne amplius peccet, ne deterius ſibi contingat. Tertium conſidera, quia magnum meritum ſit fides. Nam & alterius fides alteri prodeſt. Hoc quotidie competit pueris, qui baptizantur,

tur,qui ſi ante diſcretionis annos moriantur, in alterius fide ſuſcipiunt gratiam, & poſt in merito Chriſti ſalvantur.

De ſocru Symeonis liberata à Domino.
Cap. 34.

Contigit, Dominum Jeſum in Civitate prædicta Capharnaum, divertere in domum Symonis Petri, ubi ſocrus Petri tenebatur magnis febribus. Humilis ergo Dominus familiariter tetigit manum ejus, & curavit eam, & incontinenti ſurrexit, & ei, & Diſcipulis miniſtravit. Sed quid miniſtravit, non eſt ſcriptum. Cogita ergo, quòd in domo pauperis Diſcipuli comedit, paupertatis amator, aliqua cibaria groſſa, quæ citò parari poterant. Conſidera ergo Dominum Jeſum juvantem præparare in domo Diſcipuli ſui. Talia enim faciebat humilis Magiſter, qui miniſtrare venerat, & non miniſtrari. Et ſe familiariter ad ſedendum ponebat in medio menſæ, & comedebat alacriter, præcipue, quia in prandio relucebat paupertas, quam ſic amabat.

De dormitione Domini in Navicula.
Cap. 35.

Intrans Dominus Jeſus in Naviculam cum Diſcipulis ſuis, poſuit ſe ad dormien-

miendum, tenens caput ſuper cervicali. Ipſe enim vigilabat, de nocte in oratione: multumque in die in prædicationibus laborabat. Cumque dormiret, orta tempeſtate, Diſcipuli periclitari timebant, ſed non audebant eum excitare. Timore autem coacti, excitaverunt eum dicentes. Domine, ſalva nos, perimus. Qui ſurgens, increpavit eos de modica fide, & imperavit Mari, & ventis, & ceſſavit tempeſtas. Hic conſiderare potes, quòd licet videatur nobis, quòd Dominus circa facta noſtra dormiat, quaſi non curans de nobis, maximè quando tribulamur, Ipſe tamen diligentiſſimus eſt ſuper cuſtodia noſtra, & idcirco debemus eſſe in fide coſtantes.

De filio Viduæ à Domino ſuſcitato. Cap. 36.

Cum ſemel iret Jeſus verſus Civitatem Naym, obviavit multitudini hominum portantium quendam juvenem mortuum filium Viduæ ad ſepulchrum. Pietate commotus pius Jeſus, tetigit pheretrum, & portantes ſteterunt. Ipſe Dominus ait: Adoleſcens, tibi dico ſurge; & ſtatim ſurrexit, qui fuerat mortuus, & reddidit eum matri ſuæ. Omnes autem ſtupuerũt, & laudaverunt Deum.

)(✠)(

De Puella ſuſcitata. Cap. 37.

AD petitionem cujuſdam Principis ibat Dominus Jeſus cum eo, ad ſanandum quandam Puellam. Cumque turba magna iret cum eo, intus erat quædam Mulier graviter infirma, quæ dicitur fuiſſe Martha, ſoror Mariæ Magdalenæ, quæ intra ſe dicebat. Si tetigero tantum fimbriam veſtimenti ejus, ſana ero. Et cum timore appropians tetigit, & liberata eſt. Dixit autem Dominus Jeſus. Quis me tetigit? Reſpondit Petrus. Domine: turbæ comprimunt te, & tu dicis, quis me tetigit? Vide hic patientiam Domini. Nam comprimebatur à turbis, quia volebant ei approximare. Jeſus autem ſciebat, quid dicebat, & iterum dixit. Senſi virtutem ex me exiſſe. Tunc Martha factum miraculum publicavit. Libenter eam Dominus curavit, cum qua poſtea multam familiaritatem habuit, & tunc dixit ei. Fides tua te ſalvam fecit. In hoc ergo miraculo, habes fidei commendationem, habes etiam quoddam notabile ad humilitatis cuſtodiam, ſicut dicit beatus Bernard. Quilibet Domino perfectè ſerviens, poteſt appellari fimbria, quaſi ultima pars veſtimenti Domini, propter ſuam humilem reputationem. Qui ergo ad tantum ſtatum pervenerit, quòd ſciat, ſe à Domino exaudiri

in li-

in liberandis infirmis, vel aliis miraculis, non extollatur propter ea, quia non ipſe, ſed Dominus facit. Quamvis enim Martha tangeret, ad cujus tactum, ſe liberari confidebat, & ſic contigit non tamen à fimbria, ſed à Domino virtus liberationis exivit. Et propterea ipſe dixit: ſenſi virtutem ex me exiiſſe. Tandem Dominus Jeſus ivit ad domum Principis, & illius filiam, quam invenit mortuam ſuſcitavit, & ſanavit.

De converſione Mariæ Magdalenæ. Cap. 38.

CUrialiſſimus Dñs invitatus quadam die à Symone leproſo, ivit ad prandendum cum eo, quod facere ſolitus erat, tum ex ſua curialitate, tum ex ſua benignitate, & zelo, quem habebat ad ſanandas animas, pro quibus de Cœlo deſcenderat. Unde comedendo cum hominibus, & converſando cum eis, ad amorem ſuum attrahebat. Nam ipſe pauperrimus erat, & de Mundi hujus ſubſtantia pro ſe, & ſuis, nihil ſumpſerat. Humiliter ergo Dominus & cum gratiarum actione ſpeculum humilitatis Jeſus cum invitabatur, recipiebat pro loco, & tempore. Audiens autem Magdalena, quod in domo Symonis, ad prandium recumberet, quæ jam forte ipſum prædicante audierat, & ardenter, licet hoc nondum propalaſſet, tacta dolore cordis intra ſe

pro

pro peccatis ſuis, & amoris ejus igne ſuccenſa conſiderans, quòd ſine ipſo ſalutem obtinere non poterat, & amplius differre non valens, perrexit ad locum convivii, facieque inclinata, ac oculis in terram demiſſis, ante convivas tranſiens, non quievit, donec pervenit ad Dominum, & ad dilectum ſuum. Et illicò ad pedes ejus proſtrata viſceroſe, dolore pariter, & rubore repleta, de peccatis ſuis, procumbens, & vultu ſuper ipſius pedes cum confidentia quadam inclinato (quia jam ſuper omnia eum diligebat) cępit fletibus, & ſingultibus abundare, & tacita intra ſe dicere. Domine mi, firmiter credo, ſcio, atque confiteor, vos Deum, ac Dominum meum eſſe. In multis autem, & magnis offendi majeſtatem veſtram. Peccavi in omnem juſtitiam veſtram, & multiplicavi peccata ſuper numerum arenæ maris, ſed ad veſtram miſericordiam confugi, in qua ego peccatrix doleo, & compungor, veniam peto, emendare parata, & nunquam à veſtra obedientia diſcedere intendo. Non patiar (quæſo) repulſam à vobis, quia aliud refugium credo me non poſſe habere, nec habere volo: quia vos ſolum ſuper omnia diligo, non ergo me repellatis à vobis. Interim autem lachrymę decurrentes largiter, pedes Domini balneaverunt, & laverunt. Unde hic manifeſtè videre potes, quòd Dominus Jeſus ibat diſcalciatus. Tandem à fle-

à fletu ceſſans : & cum perpendit, indignum reputans, quod ſuæ lachrymæ pedes Domini contigiſſent, capillis ſuis abſterſit. Ideo autem capillis, quia ſecum aliud prętioſius non habebat, quo eos tergeret, & etiam, quia ea, quibus ad vanitatem uſa fuerat, ad utilitatem convertere intendebat, & amore creſcente, oſculabatur eos amantiſſimè, & ſæpe, quia etiam ipſius pedes Domini, propter itinera, calidi erant, ungebat eos prætioſo unguento. Conſpice ergo bene ipſam, & ſuper his moroſe mediteris, ob devotionem ejus, quæ ita ſingulariter à Domino fuit dilecta, & etiam, quia ſolemne fuit hoc feſtum valde. Conſpice & Dominum Jeſum, quàm benigne ſuſcipit, & quàm patienter ſuſtinet, quicquid facit. Ceſſat, & quieſcit à comedendo, donec negotium compleat, ceſſant convivæ, & omnes ſuper hac novitate mirantur. Sed nunc vehementer indicavit ille Simon in corde ſuo, quòd à tali fœmina ſe permittebat tangi, quaſi non eſſet Propheta, nec cognoſceret eam. Dominus autem cogitationibus cordis ejus reſpondens, ſe verum oſtendit Prophetam, & exemplo duorum debitorum convincit. Et volens apertè monſtrare, quòd omnia in dilectione conſummuntur, dixit. Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit me multum. Et ad eam dixit. Vade in pace. O verbum delectabile, & ſuave, quod liben-

libenter Magdalena audivit, & quàm jocunda receſſit perfectè ad Deum converſa, deinceps honeſtè, & ſanctè vixit. Meditare ergo hic diligenter, & tantam charitatem imitari coneris, quæ hic maximè verbo, & opere à Domino commendatur. Hic enim expreſsè habes, quòd charitas inter Deum, & hominem pacem reformat. Unde beatus Petrus dicit, quòd charitas operit multitudinem peccatorum: ita quòd cum charitate omnes virtutes informat, nullaque Deo placent ſine charitate. Ergo ad ipſam habendam tota virtute niteris, quæ tuo ſponſo Jeſu te acceptum faciat.

Quomodo Joannes miſit Diſcipulos ſuos ad Jeſum. Cap. 39.

GLorioſus miles, & præcurſor Domini Jeſu Joannes Baptiſta, cum eſſet in vinculis incarceratus ab Herode, propter juſtitię defenſionem: quare redarguebat eum; quia tenebat uxorem fratris ſui viventis, volens inducere Diſcipulos ſuos, ut ſequerentur Dominum Jeſum, cogitavit eos ad ipſum mittere, ut auditis verbis, & viſis operibus ejus, exardeſcerent in amorem ejus, & ſequerentur eum. Iverunt ergo ad eum, & ex parte Joannis dixerunt ei. Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Dominus Jeſus magnam turbam tūc habebat coram ſe.

ſe. Conſpice bene ipſum, quomodo vultu placido recepit nuncios Joannis: & quomodo ſapienter, primo factis, & poſtea verbis reſpondit. In eorum igitur præſentia ſanavit ſurdos, mutos, & cæcos, & alia multa miracula fecit, & populo prædicavit: & poſtea inter alia dixit illis. Ite, & renunciate Joanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Iverunt igitur, & renunciaverunt Joanni, qui libentiſſimè audivit. Illi autem Diſcipuli (ut piè poſſumus meditari) poſt mortem Joannis, Chriſto firmiter adhæſerunt. Dominus autem Jeſus poſt illorum acceſſum, valde Joannem commendavit, collaudans eum de multis dicens, quòd erat Propheta, & pluſquam Propheta. Et quòd inter natos mulierum eo non ſurrexit major, & de aliis, ut in Evangelio habes. Tu ergo conſpice Dominum Jeſum ſemper, & dū prædicta miracula facit.

De obitu beati Joannis Baptiſtæ. Cap. 40.

HIc poteſt occurrere meditatio de ipſius ſancti Joannis Baptiſtæ, & præcurſoris morte. Cum igitur ille Herodes nequiſſimus, & adultera illa peſſima fœmina ſimul forte dixiſſent, ipſum occidere, ut peccati ſui redargutorem non haberet, contigit, ut in die convivii, ſaltanti miſeræ filiæ ipſius Herodiadis, daretur caput ſancti Joannis; & ſic in

car-

carcere decollatus eſt. Vides qualis homo, & qua muliere regnante, & imperante nequitia occubuit. O Deus, qualiter hoc fieri permiſiſti? Quid eſt hoc cogitare, quòd taliter moriatur Joannes, qui tantæ perfectionis erat, & ſanctitatis, ut putaretur eſſe Chriſtus. Igitur ſi vis hoc negotium bene ruminare, cogita primo, nepharia opera eorum, & cogita Joannis magnitudinem, & excellentiam ſingularem, & tunc poteris capere. Audiſti in ſuperiori tractatu, qualiter fuit à Domino commendatus in multis, audi nunc qualiter commendat eum beatus Bernardus in quodam ſermone ſic dicens. Illa mater, & magiſtra omnium Eccleſiarum Romana Eccleſia, de qua dictum eſt: ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, in honore eſt Joannis Baptiſtæ propter Salvatoris nomen conſecrata, & conſignata. Dignum namque fuit, ut ſingularem amicum ſponſæ ibi proveheret, ubi principium ipſa aſſumpſit. Crucifigitur Petrus: Paulus gladiatur, ſed tamen dignitas permanet Præcurſori. Purpuratur Roma multitudine Martyrum, ſublimitas tota refunditur beato Patriarchæ Joanni. Joanne ubi major? In omnibus ſingularis, mirabilis ſuper omnes. Quis ſic glorioſus auctoritate eſt? Quis ſic ſpecialiter in utero matris Spiritu Sãcto legitur fuiſſe repletus? Quem legiſtis intra matris uterum exultaſſe? Quis igitur

tur ità legitur ſublimiter converſaſſe? Quis pœnitētiam, & Regnum Cœlorum oſtendit? Quis Regem Gloriæ baptizavit? Cui tale teſtimonium perhibuit Jeſus Chriſtus? Quem ſic honoravit Eccleſia? Joannes Patriarcha, immo Patriarchārum finis, & caput: Joannes Propheta; imō pluſquam Propheta. Quis quem venientem nunciat, digito demonſtrat? Joannes Angelus, ſed inter Angelos electus, Salvatore atteſtante, qui dicit. Ecce ego mitto Angelum meum, &c. Joannes Apoſtolus, ſed Apoſtolorum primus, & Princeps, quia fuit à Deo miſſus. Item Evangeliſta, ſed Evangelii primus oſtenſor, prædicans Evangelium Regni. Joannes virgo, immo virginitatis inſigne: pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum. Joannes martyr, ſed Mārtyrum lumen, & forma. Ipſe vox in deſerto clamantis, præcurſor Salvatoris, preco Verbi. Nam ad hunc talem mittitur ſpiculator, ut amputet caput, ac ſi eſſet aliquis viliſſimus, ac peſſimus homicida. Conſpice igitur eum reverenter, & cum dolore qualiter ad juſſum vilis, & nequam ſpiculatoris collum parat, humiliter genuflectit, & gratias Deo agens, ponit ſacratiſſimum caput ſuum ſuper aliquo truncho, vel lapide, & patienter ictus ſuſtinet, quouſque totaliter abſcindatur. Ecce quomodo vadit Joannes, amicus intimus Domini Jeſu, conſanguineus, & di-

ſcipulus, & maximus ſecretarius? Vere magna eſt confuſio nobis, quòd patientiam in ullis adverſitatibus nõ habemus. Joannes innocens talem mortem ſuſtinuit patienter, & nos plerumque peccatis aggravati, & ira Dei digni, non poſſumus & parvas injurias ſuſtinere, nec etiã verba tollerare. Dominus autem Jeſus erat tunc in partibus illis: ſed non in terra illa. Cum obitus ejus fuiſſet ei nunciatus, flevit pius Jeſus pugilem ſuum, & cõſobrinum. Fleverunt & Diſcipuli ejus: flevit & Beata Virgo Maria, quæ ipſum natum de terra levavit, & tenerrime eum dilexit, ſed Dominus conſolabatur Matrem ſuam. Ipſa verò dicebat. Fili, quare non defendiſti eum, ne ſic moreretur? Et Dominus ad eam. Reverenda Mater non expediebat talis defenſio. Nam ipſe pro Patre meo mortuus eſt, & pro defenſione juſtitiæ, citò autem erit & ejus gloria. Ipſe enim Pater nõ intendit ſuos defendere tali modo, in hoc mundo, quia non ſunt hic moraturi, nec ipſorum patria hæc eſt, ſed in Cœlis. Joannes ſolutus eſt à vinculis corporis, non eſt mortuus, ſed evaſit mortem. Igitur conſoleris chariſſima Mater, quia Joanni ſemper erit bene. Poſtea aliquibus diebus elapſis, diſceſſit Dominus Jeſus de partibus illis, & rediit in Galilæam. Tu autem prædictis omnibus te præſentem exhibeas, & ea mediteris devotè, quocunque

Do-

Dominus ierit, eum ſequere.

De locutione Domini Jeſu cum Samaritana.
Cap 41.

DUm Dominus Jeſus à Judæa in Galilæam rediret, tranſivit per Samariam fatigatus ex itinere. Conſpice ideo eum hic, quomodo fatigatus plane incedit. Sæpe fatigatus eſt,& tota vita ipſius laborioſa fuit. Poſuit ergo ſe ad ſedendum ſuper quendam puteum, & quieſcebat. Diſcipuli autem iverunt ad Civitatem ad quærendum cibos. Venit ergo mulier Samaritana pro aqua ad ipſum puteum. Dominus autem cum ea cœpit loqui, & de magnis factis tractare,& ſe ipſum eidem manifeſtare. De quibus autem meditare tu, quomodo cum ea loquebatur humiliter, & qualiter Diſcipuli redierunt, & qualiter ad verbum Mulieris Civitas obviam venit, & qualiter ipſe ivit cum eis. Videas Evangelium,& bene conſidera. Ex iſta enim hiſtoria quædam pulchra,& utilia notantur. Primo nota humilitatem Domini Jeſu, quia eum ſolus remanſiſſet humilis Dominus, Diſcipulis in Civitatem euntibus, cum illa muliercula ſola de tam magnis factis ſic tractabat humiliter, ac de pari loquebantur ad invicem. Non enim dedignabatur eam, ſed talia cum ea dicebat, quaſi ſi multis ſapientiſſimis reſpondiſſet.

De talibus etiam magnum fuiſſet, non, ſicut ſuperbi faciunt. Si enim ambitioſa verba fudiſſent inter paucos, ea perdita reputarent, nec illos judicarent dignos ſuſcipere verba ſua. Secundo, paupertatem ipſius, & corporis afflictionem conſidera, ſed & humilitas eſt mixta cum eis. Habentur enim in hoc, quod Diſcipuli iverunt in Civitatem ad quęrendum cibos, & quæſitos portaverunt, & volebant, quod ipſos manducaret. Vide igitur qualiter ipſe fatigatus, & famelicus deficiebat. Unde hìc apertè colligere potes, quòd humilis Dominus, ac paupertatis amator, cum ibat per mundum, ſemper comedebat extra Civitatem in aliquo rivulo, vel fonte, quantumcumque fatigatus, vel afflictus eſſet. Non habebat cocta, & exquiſita cibaria, non vaſa curioſa, non delicata vina, ſed habebat aquam puram de fonte, qui vineas fęcundavit, & fœcundat, & fontes creavit, & omnia, quæ moventur in aquis, & panem tanquam pauper in terra comedebat. Tertio conſidera, quomodo intentus erat ſtudio ſpirituali. Nam cum Diſcipuli eum comedere invitarent, dixit, Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, nec voluit manducare, ſed expectabat eos, qui veniebant de Civitate, ut eis prius prædicaret. Conſpice ergo eum in prædictis,

& ejus

& ejus virtutes ſtudeas imitari.

Quomodo Dominus Jeſus fuit ductus uſque ad ſupercilium Montis. Cap.42.

CUm rediret Dominus à Nazareth, & illi ab eo miracula peterent, & ipſe eos indignos miraculis oſtenderet, furore accenſi expulerunt eum extra Civitatem. Benignus ergo Dominus ipſos fugiebat, & ipſi perſequebantur eum. Quid tibi videtur? Intantum furor eorum exarſit, & crevit, quòd ipſum uſque ad ſupercilium Montis duxerunt, ut eum inde præcipitarent. Dominus verò virtute divina tranſiens per medium illorum ibat. Et dicit ibi Gloſſ. quòd cum Dominus Jeſus de manibus eorum elapſus, de Monte deſcenderet, & ſub rupe lateret, ſaxum ſubterfugiit, & locum dedit ei. Conſpice illum ante illos fugientem, & latentem ſub rupe, & compatere afflictionibus ſuis, & in humilitate, & patientia ipſum imitari coneris.

De cura illius qui habebat manum aridam. Cap.43.

QUadam die Sabbathi docebat Dominus Jeſus in Sinagoga, & ibi erat quidam habens manum aridam. Fecit autem Jeſus eum ſtare in medio, & quæſivit ab illis Sapientibus, ſi licebat in

die Sabbathi benefacere. Ipſi verò tacuerunt. Dixit ergo Jeſus habenti manum aridam. Extende manum tuam, & ſanatus eſt. Non enim in die feſto à bono eſt abſtinendum, & maximè operibus charitatis, ſed à peccatis, & ab operibus ſervilibus. At illi ſcandalizabantur multum, & conſpuebant contra eum, & dicebant. Non eſt homo à Deo, qui Sabbathum non cuſtodit. Dominus autem propterea non dimittebat, immo ſtudioſius faciebat, ut eos erveret ab errore. Conſidera ergo ipſum in prædictis operationibus, & ejus exemplo non ceſſes ab opere bono, nec ceſſare debes propter ſcãdalum alicujus.

De multiplicatione panis. Cap. 44.

DE duabus vicibus legitur, quòd benignus Dñus multiplicavit paucos panes, & exinde multa milia hominum ſatiavit. Tu tamen in unam redige meditationem, & in ea conſidera verba, & facta ipſius. Dixit enim tunc. Miſereor ſuper turbam, quia jam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent. Et ſi dimiſero eos jejunos, deficient in via. Quidam autem ex eis de longe venerunt, & poſtea panes multiplicavit, ita quòd omnes comederunt abundanter. Conſidera ergo hìc plura bona, & ſpecialiter, quomodo Dominus Jeſus erat miſeri-

cors,

cors, & miſericordia traxit eum ad ſubveniendum eis. Et ideo dixit miſereor ſuper turbam. Miſericordia enim ejus plena eſt terra. Secundo, erat curialis, & gratus ex cauſa, quam aſſignat, quia ecce inquit, jam triduo ſuſtinent me. Vide curialitatem, & gratitudinem magnam, & mirabilem. Nam quaſi pro beneficio ab eis recepto, ſic loquitur. Tertio, erat diſcretus, & circunſpectus, eo quòd conſiderabat eorum indigentiam, & impotentiam, qualiter deficere poterant, & qualiter eorum aliqui de longe venerant. Vide ergo quàm ſapida, & quàm melliflua verba iſta fuerunt. Si bene attenderes, quanto perfectiores fuerunt Apoſtoli, & ſui imitatores, & eo propinquiores, quanto humiliores videbis, quia nihil ſibi attribuunt, niſi miſerias, peccata, & defectus. Et quanto quis ei magis appropinquat, tanto magis eſt illuminatus. Et ideo Dei magnificentiam, & ejus miſericordiam clarius videt. Conſpice ergo Jeſum, qualiter illos panes accipiens, & Patri gratias agens, dedit Diſcipulis ſuis, ut apponerent turbæ, & in manibus eorum ita multiplicavit, ut omnes pro ſuo libito comederent, & multa ſuperaverunt fragmenta. Conſidera etiam qualiter aſpicit illos comedentes, & in jocunditate eorum lætatur. Conſpice etiam illos, qualiter ſuper iſto miraculo admirantur. Unus ad alterum inde loquitur, &

cum gratiarum actione manducant.

De fuga Domini Jeſu, quando fugit honorem regium. Cap. 45.

POſtquam Dñus Jeſus ſatiavit turbas, ut in ſuperiori tractatu continetur, illi voluerunt eum facere Regem. Conſiderabant namque, quod poſſet eorum neceſſitatibus ſubvenire. Dominus autẽ Jeſus cognoſcens eorum voluntates, fugit ab eis in Montem, ita quod illi non perpenderunt, nec eum tunc invenire potuerunt. Noluit enim tunc temporaliter honorari. Nunc vide quomodo verè, & non fictè hunc fugit honorem. Miſit enim Diſcipulos per mare, & ipſe ſolus aſcendit in Montem, & ibi ſtetit in oratione uſque ad decimam vigiliam noctis, ideſt, tres partes noctis receſſerant, & quarta reſtabat. Conſpice ergo eum qualiter orat, & ſe humiliat coram Patre. Quærit ſolitaria loca, & ſolus vadit ad ea. Affligit ſe, & vigilat vigilias longas. Intercedit Paſtor fidelis pro civibus ſuis. Orat enim non pro ſe, ſed pro nobis tanquam advocatus noſter, & mediator apud Patrem. Orat etiam, ut exemplum orandi nobis daret. Frequenter inde Diſcipulos monuit. Dicebat namque eis, quoniam oportet ſemper orare, & non deficere, & quomodo importunitas orationis impetrat, quod poſcit, proponens eis exẽ-

plum

plum de judice, & vidua, ut habes in Luc. 18. Hortabatur etiam ad confidentiam impetrandi petita, dicens. Petite, & dabitur vobis. Et hoc dicebat, ut nobis commendaret virtutem orationis. Eſt quippe virtus ejus ineſtimabilis, & efficax ad omnia proficua impetranda, & nociva removenda. Si enim vis patienter tollerare adverſa, vaca orationi. Si vis tentationes, & tribulationes ſuperare, ſis homo orationis. Si vis aſtutias Sathanę cognoſcere, & ejus fallacias vitare, ſis orationis. Si vis lætanter vivere in opere Dei, & laboris, & afflictionis nihil curare, & non timere, ſis orationis. Si vis injuriis oblivisci, ſis orationis. Si vis vanarum cogitationum muſcas effugare, ſis orationis. Si vis animam tuam ſanctis, & bonis cogitationibus, deſideriis, fervoribus, & devotionibus impinguare, ſis orationis. Si vis cor tuum virili ſpiritu, & conſtanti propoſito in Dei beneplacito ſtabilire, ſis orationis. Denique ſi vis vitia extirpare, & virtutibus imbui, ſis orationis. In ea recipitur Spiritus Sancti unctio, quæ de omnibus mentem docet. Item ſi vis ad contemplationem aſcendere, & frui amplexibus Sponſi, ſis orationis. Si vis Cœleſtem guſtare dulcedinem, & alia Dei magnalia, quæ ſentiri poſſunt, ſed dici nequeunt, ſis orationis. Ad eam namque contemplationem, & Cœleſtium deguſtationem per orationis

D 5 exer-

exercitium devenitur. Vides quàm magnæ potentiæ, & virtutis ſit oratio.

Quomodo ivit Dominus Jeſus ſupra Mare, dum ejus Diſcipuli periclitabantur in medio Maris. Cap. 46.

DUm ergo Dominus eſſet in Monte orans, Diſcipuli erant in medio Maris afflicti, & anguſtiati vehementer, quia ventus erat contrarius eis, & variis procellis, & fluctibus jactabantur. Conſpice nunc eos, & compatere eis, quia in magna ſunt tribulatione. Tempeſtas enim invaſit eos, & tempus nocturnum erat, & abſque Domino ſuo erant. Quarta autem vigilia noctis deſcendit Dominus de Monte, & ambulans ſupra Mare, appropinquavit eis. Conſpice ergo eum, quomodo fatigatus ex vigilia longa, & oratione prolixa: ſolus deſcendit tempore noctis de Monte laborioſus, & fortè penoſus nudis pedibus. Et quomodo vadit ſupra Mare, firmo veſtigio, ſicut ſupra terram. Cum autem appropinquat Navi, Diſcipuli timentes clamaverunt, putantes eum fantaſma. Et benignus Dominus nolens eos amplius vexari, ſecuravit eos dicens. Ego ſum, nolite timere. Tunc Petrus confiſus de potentia divina ad juſſum Domini cœpit ſupra Mare ambulare; ſed poſtea cœpit mergi. Dextera tamen Domini, ne mergeretur, erexit.

In

In hoc autem loco dicit Gloſſ. ſuper Matth. Sic ſupra Mare ambulare facit, ne obliviſcatur infirmitatem, ne putet ſe eſſe æqualem Domino, & ne ſuperbiat. Intravit autem Dominus Navem, & ceſſavit quaſſatio, & omnia ſunt pacata. Diſcipuli verò eum reverenter receperunt, multumque gaviſi ſunt, & in quiete magna remanſerunt. Conſpice bene ipſum, ac Diſcipulos in omnibus prædictis, quia pulchra, & devota ſunt valdè.

De muliere Chananea. Cap. 47.

CUm Dominus Jeſus laborans circuiret prædicando, acceſſit ad eum mulier Chananea de terra Chanaam, quæ erat Gentilium, & non Judæorum, rogans eum, ut liberaret à Dęmonio filiam ejus, quæ ab eo vexabatur. Erat enim fides in ea, quòd hoc facere poſſet, & Domino non reſpondente, nihilominus inſtabat, & perſeverabat clamans, & petens ab eo miſericordiam in tantum, ut pro ea rogaverunt Diſcipuli. Cumque Dominus reſponderet, non debere panem filiorum dari canibus, ipſa ſe humilians, reſpondit, ut ſaltem more canis de micis poſſet habere, & ſic meruit exaudiri. Cōſpice igitur Dominum, & Diſcipulos, & etiam ipſam in prædictis, nihilominus etiam conſidera virtutes iſtius mulieris, & eas ad tuam utilitatem converte, quæ

maximè fuerunt tres. Prima fuit fides magna, ut etiam uſque ad filiam, quæ ſanata eſt, ſe extenderet. Secunda fuit orationis perſeverantia. Tertia fuit humilitas profunda. Nam nec negavit ſe canem, nec dignam ſe putavit inter filios reputari, vel habere panem integrum, ſed contenta fuit de micis accipere. Sic & tu, ſi corde fideli, puro, & integro, in oratione perſeveraveris, & coram Deo tuo te humiliaveris, indignum te reputans omni bono ſuo? certiſſime credas, quod quicquid petieris obtinebis. Et ſicut Apoſtoli rogaverunt pro Chananea, ſic & Angelus tuus pro te rogabit, & deferet orationem tuam ad Dominum.

Quomodo aliqui propter verba Domini ſcandalizati fuerunt. Cap. 48.

NOn mireris, ſi ex verbis noſtris, & factis ſcandala oriantur. Cum enim ſemel Phariſæi Dominum interrogarent, quare Diſcipuli non lavarent manus, quando panem manducabant, Dominus dure reſpondit eis, increpans, quia interiorem munditiam, non exteriorem quærebat, de qua increpatione illi ſcandalizati ſunt, ſed Dominus non curavit. Alia vice cum ſpiritualia verba diceret in Sinagoga, aliqui ex Diſcipulis ejus tanquam carnales non intelligentes receſſerunt, nec de hoc curavit, ſed ad duode-

cim

cim Diſcipulos ait. Nunquid & vos vultis abire? Et Petrus pro ſe, & aliis reſpondit. Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternę habes. Conſidera igitur eũ, quomodo cum poteſtate loquebatur, & quomodo defendebat veritatem, non curans de ſcandalo pravorum, & inſipientium. Nota ergo primo, quod per alterius ſcandalum non debemus recedere à juſtitiæ veritate. Secundo, quod de interiori munditia, & etiam exteriori honeſtate curare debemus. Tertio, quòd ſpiritualiter vivere debemus, ita quod verba Domini non videantur nobis extranea ſicut illis Diſcipulis, qui quando Chriſtus dixit in Joanne. Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, eum non potuerunt ſuſtinere.

De retributione relinquentium omnia, & exemplum Chriſti, & Apoſtolorum ſequentium. Cap. 49.

CUm fidelis, & prudens Diſcipulus Simon Petrus quæreret à Domino Jeſu pro ſe, & ſociis, de retributione ipſorum reſpondit Dominus Jeſus inter alia, quòd omnes, qui temporalia relinquentes, ipſum ſequerentur, centuplum acciperent in hoc Mundo, & in futurum vitam æternam. Nota bene hanc retributionem, & gaude gaudio magno, & gratias, & laudes Domino referas toto affectu,

ctu, quod ad talem negotiationem te adduxit, ut manualiter de uno centum lucreris, & nihilominus vitam æternam. Vides quomodo verum eſt, quod loquitur. Veritas non fallit, quin centuplum reddat in hoc ſæculo, & non tantum ſemel, ſed pluries, & ſæpe, ſi animæ devotæ ſic afficiant in eum, quod non ſolum relinquant omnia, ſed totum Mundum arbitrentur, ut ſtercora, ut ſponſum ſuum lucrifacere poſſint. Bern. Gaude ergo, & lætare, ut dixi, gratias age, quia ad hoc centuplum recipiendum vocatus es, & in hanc Paradiſum ingredere ſæpe, quam ex orationis ſtudio conſequi poteris.

Qualiter Dominus quæſivit, quid diceretur de ipſo. Cap. 50.

VEniens Dominus Jeſus in partes Cæſareæ Philippi quęſivit à Diſcipulis de ſe. Dixit Petrus pro ſe, & pro aliis. Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Et Dominus ad eum. Tu es Petrus, &c. Et dedit ei pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis poteſtatem ligandi, atque ſolvendi ſuper terram. Conſpice igitur eum, & etiam ipſos juxta generalem formam ſuperius tibi datam. Et nota, quòd etiam hic habes, quòd Petrum, quem hic magnificavit, paulò poſt vocavit Sathanã, eo quod propter amorem carnalem, quem Petrus habebat ad ipſum, diſſuaſit ei de paſſione

ſua,

ſua, ut non fieret. Sic & tu Domini exẽplo, habeas omnes pro adverſariis, qui pro corporali alleviatione, ab exercitio, & bono ſpirituali te retrahere vellent.

De transfiguratione Domini Jeſu. Cap. 51.

ASſumens Dominus Jeſus tres ex Diſcipulis ſuis, aſcendit in Montem Tabor, & transfiguratus eſt ante eos, oſtendens ſe eis glorioſum. Venerunt inſuper Moyſes, & Helias loquentes cum eo de paſſione ſua futura. Dicebant autem. Domine, non ſic expedit, quod moriaris, quin poſſis aliter nos redimere, quia Deus es, & omnia tibi poſſibilia ſunt. Dominus autem dicebat. Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ovibus ſuis. Sic & me facere oportet. Affuit autem Spiritus Sanctus in ſpecie nubis lucidæ, & vox Patris facta eſt in nube, dicens. Hic eſt Filius meus dilectus, &c. Diſcipuli ciderunt in terram, & poſtea non viderunt niſi ſolum Jeſum. Conſpice igitur bene, & te præſentem exhibeas, quia hęc magnifica ſunt valde.

De ejectione ementium, & vendentium in Templo. Cap. 52.

DUabus vicibus ejecit Dominus emẽtes, & vendentes de Templo: quod inter magna ejus miracula deputatur. Nam

Nam licet alias enim vilipenderent, tamen omnes ante ipſum fugerunt. Et quamvis eſſent multi, non ſe defenderunt, ſed ipſe ſolus cum quibuſdam eos ejecit. Et hoc ideo, quia terribilem ſe eis oſtendit in facie. Accenſus enim erat vehementer, eo quod Pater ſit inhonoratus ab illis, maximè in loco, ubi magis honorari debebat. Conſpice bene ipſum, & compatere, quia ipſe paſſivo dolore plenus eſt. Nos enim qui in Templo Domini ſumus ſpeciali gratia ipſius deputati: ſi ſæcularibus negotiis (ut illi faciebant) nos implicamus, cũ ad laudem Dei ſemper debemus intendere, meritò ejectionem ab eo, & indignationem ejus timere poſſumus. Si verò non vis illa timere, nulla ratione, vel cauſa, ſæcularibus curis, vel negotiationibus te audeas implicare. Opera quæcunque curioſa ne feceris, quæ tempus, quod Dei laudibus eſt debitum, occupant, & pompis ſæcularibus corrumpunt.

De paralitico ſanato ad Piſcinam. Cap. 53.

ERat in Hieruſalem quædam aquarum congregatio, in qua lavabantur oves, de quibus fiebant ſacrificia. In ea dicitur fuiſſe lignum Domini, quod quolibet anno ſemel commovebatur ab Angelo, & ſanabatur aliquis infirmus, ſcilicet, qui prius deſcendebat in aqua poſt

aquę

aquæ ab Angelo motionem. Unde multi propter hoc juxta eam continuè morabantur. Erat ibi quidam infirmus in grabato paraliticus per 28. annos. Hunc ergo Jeſus quadam die Sabbathi curavit. Conſpice ipſum humiliter euntem ad infirmum, & loquentem more ſolito. In hoc facto nota, quod primum ſicut hic Dominus requiſivit infirmum, ſi vellet ſanari, ita nobis ſine noſtro conſenſu ſalutem non dabit. Et ideo inexcuſabiles ſunt peccatores, non conſentientes voluntati Domini, & ſuæ ſaluti. Unde Auguſtinus. Qui creavit te, ſine te, non juſtificabit te, ſine te. Sed multum cavere debemus, ne laboremus in peccato, quia ſi ſanati à Domino reincidamus, dignè noſtra ingratitudo acrius punietur. Sicut huic dixit Dominus, vade, & amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat. Tertio, quia ſicut maligni in omnibus perdunt: ſic boni de omnibus lucrantur. Nam quando hic liberatus portabat grabatum, dicebatur ei à Judæis, quòd hoc non licebat die Sabbathi. Et ipſe reſpondit. Qui me ſalvum fecit, ille mihi dixit. Tolle grabatum tuum. At illi dixerunt. Quis eſt ille, qui te ſalvum fecit? Et ſic quærebant, quod poſſent reprehendere, non quòd poſſent laudare. Sic carnales homines ſæpe in malam partem judicant, quæ vident, & quaſi in omnibus perdunt.

Quo-

Quomodo Diſcipuli Jeſu eũtes per ſata evellebant Spicas, & comedebant. Cap. 54.

DIſcipuli Domini Jeſu, quadam die Sabbathi eſurientes, quia non habebant unde procurarent quid comederent, ibant per agros, in quibus ſegetes erant, & evellentes ſpicas fricabant manibus, & comedebant: Phariſæi eos reprehendebant, dicentes hoc non licere die Sabbathi. Tu autem Diſcipulos intuere, & compatere eis in tanta neceſſitate conſtitutis, quamvis ipſi gaudentes hoc facerent ob paupertatis amorem, quam ante omnes virtutes, & beatitudines, commendaverat eis eorum Magiſter, & Dominus.. Quid tamen cogitare eſt, Principes mundi ad tãtam paupertatem redactos, ut tali pabulo more animalium oporteat ſuſtentari? Aſpiciebat eos Dominus, & compatiebatur eis, quia tenerrime diligebat eos, ſed nihilominus gaudebat tam propter eos, quos in hoc mundo mereri ſciebat, quam propter nos quibus relinquebant exemplum. In hoc exẽplo ad multas virtutes proficere poſſumus. Nam hic paupertas mirabiliter relucet, pompa mundi contemnenda oſtenditur, ſumptuoſa, & ſaporoſa ciborum præparatio diſcernitur. Tu ergo tanto exemplo, totis viribus paupertatem amplectere, quæ ſic emicuit in Domino, &

in

in Domina Matre ſua, & in præfatis mũdi Principibus, & in omnibus, qui Chriſtum perfectè imitari voluerunt. Sed attende de qua paupertate intelligere debes. Scio enim, quòd in ordine pauper es, & nihil habere debes, de quo gratias age Domino Deo tuo. Sed altius te aſcẽdere volo. Pone igitur profeſſionem paupertatis in corde tuo, & conſentias ei ex intimis cordis tui.

De miſterio Mariæ, & Marthæ. Cap. 55.

QUadam vice cum Dominus Jeſus iret Bethaniam ad domum Marthæ, & Mariæ, ipſę toto affectu diligentes eum, reverenter, & alacriter receperunt eundem: & Martha quidem ſoror Mariæ ſe incontinenti paravit ad refectionem honorabilem ei, & Diſcipulis procurandam. Maria ad pedes Domini ſe poſuit: & cum Dominus nolens exiſtere otioſus, more ſolito loqueretur verba vitæ æternæ: ipſa oculis, & auribus intenta in eum jocundabatur in verbis ejus, ultra quam dici poſſet: nec aliquid aliud cogitabat. Martha verò hoc moleſtè tulit, & eam compelli à Domino ad laborandum ſecum poſtulavit in miniſterio, ſed contrariam ſententiam reportavit: & Mariam optimam partem elegiſſe audivit. Maria verò, quæ in verbis Domini quieſcebat, ad clamorem ſoro-

ſororis quaſi à ſomno evigilans de quiete ſua timuit, & facie in terram inclinata, ſiluit: ſed poſt Domini reſponſionem ſecurius ſedit. Deinde parata refectione, & Domino ceſſante loqui, continuò ſurgit, atque manibus ejus parat: & deinceps ſemper Domino aſſiſtens fideliſſimè ſervivit. Conſpice benè Dominum ingredientem: & illas lætiſſimè eum ſuſcipientes. Scire autem debes, quòd per iſtas duas ſorores dicunt Sancti, duplicem vitam intelligi: ſcilicet activam, & contemplativam.

De parabola vineæ, & cultorum, qui nuncios domini occiderunt, & de parabola lapidis angularis; & quomodo Dominus aliquando blandis, & aliquando duris utebatur ſermonibus. Cap. 56.

DOminus, ac Redemptor volens animarum ſalutem, pro quibus venerat, omnibus modis ad ſe trahere, & de inimicorum manibus extirpare, quandoque utebatur ſermonibus blandis, & humilibus: quandoque increpatoriis, & duris: quandoque exemplis, & ſimilitudinibus: quandoque ſignis, & virtutibus: quandoque minis, & terroribus, & variabat modos, & remedia ſalutis. In hoc autem loco fuit uſus contra Principes, & Phariſeos verbis duris, & exemplo terribili, & propoſuit parabolam de cultoribus

bus vineæ, qui nuncios domini venientes per fructibus occiderunt, & filium ejus. Quærenti autem qua pœna digne eſſent puniendi ab illo domino, reſponderunt. Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis. Et Dominus Jeſus hoc approbans intulit. Sic auferetur à vobis Regnum Dei, ideſt Eccleſia: & dabitur genti facienti fructum ejus, ideſt gentilibus, de quibus nos ſumus, & univerſalis Eccleſia. Interpoſuit etiā Chriſtus de lapide angulari, quòd ſignificat ipſum, & debebat Judęos confringere. Tunc illi intelligentes, quòd de illis eſſent parabolæ, non correpti, ſed magis irati ſunt, quia excęcaverat eos malitia eorum. Tu autem conſpice ipſum inter illos humiliter ſedentem: & tamen cum authoritate loquentem, & cum poteſtate, & vigore.

De cæco juxta viam ſedente illuminato à Domino, fide, & importunitate orationis. Cap. 47.

BEnignus Dominus, quia ex divina charitate de ſinu Patris pro noſtra ſalute deſcendit, ſciens quòd tempus ſuæ paſſionis inſtabat, ad eundum verſus Hieruſalem, ſe pro ipſa ſuſcipienda paravit: quam Diſcipulis tunc prædixit, ſed ipſi non intellexerunt. Cum ergo appropinquaret Hyerico, cœcus quidam juxta

viam

viam ſedens, & mendicans, cum intelligeret à turbis, Jeſum inde tranſire, fortiter cępit clamare miſericordiam: licet & increparetur à turba, quia vocabat Jeſum quaſi filium David, ideſt Regem, & Regis filium: non tamen tacebat, dicens. Jeſu fili David miſerere mei. Ad cujus fidem, & fervorem Dominus Jeſus reſpiciens, fecit eum ad ſe adduci, & dixit. Quid vis, ut faciam tibi? Et cęcus ad eum. Domine, ut videam. Quod pius Dominus conceſſit dicens: reſpice. Et ſic eum illuminavit. Conſpice ergo Dominum Jeſum, & curialitatem ejus diligenter: & conſidera hic de virtute fidei, & orationis: & quomodo importunitas orationis non diſplicet Deo, immo placet. Et ipſe docet in hoc capitulo, quòd oportet ſemper orare, & non deficere. Et ſic perſeverantibus in oratione, facit Dominus quicquid juſtè, ac debitè petunt à Domino, ut dicatur. Quid vis, ut faciam tibi: & facit, immo plus igitur pro conſtanti habeas, quicquid fideliter, & perſeveranter à Domino poſtulaveris, obtinebis, nec verecundare exemplo iſtius cęci, & Chananeæ.

De Zachęo, & qualiter Dominus converſabatur cū peccatoribus humiliter. Cap. 58.

DUm Dominus ingrederetur Hyerico: Zachæus princeps Publicanorum

rum hoc audiens,& deſiderans vehementer eum videre : nec valens propter multitudinem turbæ, quia ſtatura puſillus erat, aſcendit in arborem ſichomorum, ut eum videre poſſet. Jeſus autem cognoſcens, & acceptans fidem, & deſiderium ejus, dixit. Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie oportet, me manere in domo tua : Tunc ille deſcendit, & eum cum magno gaudio, & reverentia ſuſcepit, & ei convivium præparavit. Vide curialitatem Domini Jeſu, plus dedit Zachæo, quam deſiderabat. Dedit ei, quod auſus petere non fuiſſet. Hic ergo habes de utilitate orationis. Nam deſiderium magna vox, & magna oratio. Et ideo dicit Propheta. Deſiderium pauperum exaudivit Dominus. Conſpice igitur eum ſedentem, & comedentem cum illis peccatoribus. Poſuit ſe in ultimo loco cum Zachæo: & aliquem ex illis honoratum, poſuit in capite. Familiariter, & domeſticè converſabatur cum eis, ut eos ad ſe attraheret. Conſpice igitur Diſcipulos libenter etiam cum illis peccatoribus ex pietate converſantes, & colloquentes cũ eis, & eos ad bona opera confortantes. Sciebant enim hanc eſſe voluntatem Domini ſui.

De cœco à nativitate illuminato. Cap. 59.

DUm iret Dominus Jeſus per Hieruſalem, vidit cęcum à nativitate, & inclinans ſe Dominus Jeſus, fecit lutum ex ſputo, & linivit oculos ejus, mittens eum ad natatoria Syloe, ut lavaret. Ivit ille cœcus, & viſum, & lumen recepit. Quod miraculum fuit ſolemniter examinatum ab illis malevolis, & ceſſit in confuſionem ipſorum. Conſidera quam magna fuit hujus cœci gratitudo, quia ita constanter, & viriliter defendit partem Domini Jeſu contra illos Principes, & majores Judæorum, nec in uno verbo pepercit eis, cum tamen non vidiſſet Dominum Jeſum. Multum eſt commendabilis virtus gratitudinis, & Deo accepta. Deteſtabile eſt vitium ingratitudinis. De qua materia ſic dicit Bernard. ſuper Cant. 1. Dulce ad ſingula dona gratias agere. Diligenter, inquit, conſidera quæ tibi apponuntur, ut nulla Dei dona debita gratiarum actione fruſtrentur, non grandia, non modica, ſed puſilla.

Qualiter Dominus abſcondit ſe, & exivit de Templo, Judæis illum lapidare volentibus. Cap. 60.

ECce, quod incipiunt myſteria paſſionis Domini Jeſu. Dum igitur ſemel Do-

Dominus Jeſus prædicaret in Templo, & diceret inter alia. Si quis ſermonem meũ ſervaverit, mortem non videbit in æternum. Illis reſpondentibus, an es major patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? Dixit Dominus Jeſus. Antequam Abraham fuerit, ego ſum. Ex quo verbo ſumentes occaſionem, quaſi impoſſibile, & mendacium loqueretur, tulerunt lapides, ut lapidarent eum. Ipſe verò ſe abſcondit, & exivit de Templo. Nondum venerat tempus paſſionis ejus. Conſpice igitur benè hic eum cum dolore vehemẽti, quo Dominus omnium ſic vilipendebatur ab illis nequiſſimis. Intuere ipſum, & Diſcipulos męſtos, & inclinato capite tanquam męſtos imbecilles, & debiles recedentes.

Quomodo Dominus exiſtens in Porticu Salomonis receſſit trans Jordanem exiens de manibus Judæorum, illum lapidare volentium. Cap. 61.

DUm quadam alia vice in feſto encęniorum, ideſt dedicationis Templi, Dominus Jeſus eſſet in porticu Salomonis, circundederunt eum illi lupi rapaces, cum furore maximo ſtridentes dentibus, & dicentes. Uſquequo animas noſtras tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. At mitiſſimus Agnus humiliter reſpondit eis, dicens. Loquor vobis, & non cre-

ditis mihi opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, teſtimonium perhibent de me. Conſpice nunc eum bene, & totum negotium. Ipſe quidem eis humiliter loquebatur. Illi verò cum furore, & caninis latrantibus perſiſtebāt in eum ex omni parte, tamen non potuerunt occultare venenum cordis ſui. Acceperunt ergo lapides, ut jacerent in eum, ſed Dominus Jeſus nihilominus blando ſermone locutus eſt eis dicens. Multa bona opera oſtēdi vobis, propter quod horum vultis me lapidare? Et illi inter alia. Quia cum ſis homo, facis teipſum Deum? Vide mirabilem infamiam. Ipſi volebant ſcire, ſi eſſet Chriſtus, & quia verbis, & operibus hæc comprobat, volebant eum lapidare. Tunc exivit de manibus eorum, & receſſit trans Jordanem in locum, ubi Joannes baptizaverat. Conſpice ergo eum, & Diſcipulos recedentes, & eis compatere toto tuo poſſe.

De reſuſcitatione Lazari. Cap. 62.

AD præſens valde celebre miraculū, multumque ſolemne cum devotione meditandum occurrit, ſi te attentum exhibeas, ac ſi præſens fuiſſes hiis, quæ dicta, & facta fuerunt. Et libenter converſeris, non ſolum cum Domino Jeſu, & Diſcipulis ejus, ſed etiam ipſa benedicta familia, & Deo devota, & à Domino dilecta,

cta, ſcilicet Lazaro, Maria, & Martha.
Languente ergo Lazaro, ſorores ejus prędictæ, quæ familiariſſimæ Domino erant, miſerunt ad eum locum, ad quem acceſſerat, ſcilicet trans Jordanem, ut in ſuperiori tractatu continetur, dicentes. Lazarus frater noſter, quem amas infirmatur. Et amplius non miſerunt, vel quia, hoc ſufficiebat, ut bene intelligenti: vel quia timebant, ipſum ad ſe vocare, cum ſcirent quod Judæi eum quærebant capere, & quod ipſe fugerat. Dominus autem Jeſus ſiluit per duos dies: poſtea dixit Diſcipulis ſuis. Lazarus amicus noſter mortuus eſt: & gaudeo propter vos, quia non eram ibi. Vide mirabilem bonitatem, & dilectionem Domini, ac ſolertiam circa Diſcipulos ſuos. Indigebant majori robore, & virtute. Unde ipſe libenter operabatur eorum profectum. Redierunt ergo, & venerunt prope Bethaniam, Martha, cum ſcivit, quod Dominus Jeſus veniebat, exivit ei obviam. Et procidens ad pedes ejus, dixit. Domine ſi fuiſſes hic, &c. Dominus verò reſpondit, quod reſurgeret: & de reſurrectione aliqua tractaverunt adinvicem. Poſtea miſit eam pro Maria. Hanc enim Dominus diligebat ſingulariſſimè. Ipſa verò, ut ſcivit, feſtina ſurrexit, & venit ad eum. Et procidens ſimilia verba Marthæ, dixit. Dominus autem Jeſus videns dilectam ſuam ſic afflictam, & lachrymoſam, & deſola-

tam de fratre ſuo, non potuit etiam ſe à lachrymis continere. Unde etiam lachrymatus eſt Dominus Jeſus. Conſpice nunc bene ipſum, & illas, & etiam Diſcipulos An non credis, quin & ipſi fuerint lachrymati? Poſt aliquam morulam, ſic plorantibus illis, dixit Dominus Jeſus? Ubi poſuiſtis eum? Ipſe tamen hoc ſciebat, ſed more humano hoc locutus eſt. Tunc illæ dixerunt. Veni Domine, & vide; & ducebant eum ad ſepulchrum. Vadit ergo Dominus in medio inter duas ſorores conſolans, & confortans eas. Ipſæ verò ſorores tantum de ſua præſentia conſolabantur, quod quaſi omnis doloris, & omnis rei oblitæ in eum ſolummodo intendebant. Cumque incederent omnes tres per viam, dicebat Magdalena. Domine, qualiter fuit vobis, ex quo receſſiſtis à nobis? Dolor vehemens fuit nobis ex veſtro receſſu, & tamen cum hìc eratis, de veſtra mora timebam. Et cum vos rediiſſe audivi, magnum gaudium habui, ſed nihilominus timui, & timeo multum. Scitis enim quantam indignationem adverſus vos Principes, & majores noſtri faciunt, ſed propterea non ſumus auſę mittere, quod veniretis. Gaudeo, quod vos veniſtis, ſed rogo vos pro Deo, quod caveatis vobis ab eorum inſidiis. Dominus autem reſpondit. Noli timere, quia Pater ſuper hiis providebit, & ſic colloquendo venerunt ad monumen-

mentum. Tunc juſſit Dominus Jeſus elevari lapidem ſuprapoſitum. Sed contradicebat Martha, dicens. Domine, jam fœtet. Quatriduanus eſt enim. O Deus, vide mirabilem amorem iſtarum ſororum erga Dominum Jeſum. Nolebant enim, quod ejus fętor tangeret eum. Et tunc fecit Dominus lapidem elevari. Quomodo facto, ipſe Dominus Jeſus, elevatis oculis in Cœlum, dixit. Gratias tibi ago Pater, quoniam exaudiſti me. Ego ſciebam, quòd ſemper me audis. Sed propter iſtos dico, ut ſciant, quia tu me miſiſti. Aſpice nunc bene ipſum ſic orantem, & conſidera zelum ejus ad animarum ſalutem. Deinde clamavit voce magna, dicens. Lazare veni foras. Et ſtatim reviviſcit, & foras proſilivit, ligatus tamen, ſicut fuerat ſepultus. Diſcipuli verò ad Domini pręceptum ſolverunt eum. Quo ſoluto, prædictæ ſorores flectentes genua, gratias egerunt Domino Jeſu de tanto beneficio. Poſtea duxerunt eum ad domum ſuam. Stupuerunt autem, qui ibi fuerunt, & qui hoc viderunt. Et divulgatum fuit hoc miraculum in tantum, ut multitudo magna de Hieruſalem, & de aliis partibus venerunt ad videndum Lazarum. Et Principes Judæorum ſe confuſos reputarunt, & de ipſo occidendo cogitarunt.

)(†)(

Quomodo Pontifices, & Phariſæi collegerunt concilium, ut Jeſum morti traderent, & qualiter abiit in Effraym. Cap. 63.

APpropinquante tempore, quo Dominus Jeſus diſpoſuerat noſtram redemptionem proprio ſanguine operari, armavit Diabolus ſatellites ſuos: & accendit corda eorum contra ipſum Dominum, uſque ad occiſionem ipſius, & ex bonis operibus ejus: maxime autem propter reſurrectionem Lazari, magis ac magis accendebantur, tanquam magis invidia tabeſcẽtes. Non volentes igitur amplius ſuum furorem cęlare, collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium, in quo Caypha prophetante, deliberaverunt ipſum Agnum innocentiſſimũ occidere. O pravum conſilium! O peſſimi duces populi, & conſiliarii peſſimi, & nequiſſimi: in manibus veſtris tradidit Deus Filium ſuum, ut per vos occideretur: ſed non pro vobis. Ipſe quidem morietur, & reſurget, ut ſalvet populum ſuum, & vos peribitis. Divulgatum fuit illud conſilium: ſed ſapiens Dominus voluit dare locum iræ: & etiam, quia non erant omnia completa: abiit in regionem, quæ dicitur juxta deſertum in Civitatem Effraym: & fugit humilis Dominus ante faciem nequiſſimorum virorum. Conſpice Dominum Jeſum, & Diſcipulos recedẽtes tanquam

quam imbecilles,& pauperes. Quid tunc putas Magdalenam dixiſſe? Sed & Mater Domini Jeſu qualiter erat, cum ſic eum recedere videret. Potes hic meditari Dominam, & ſorores ejus tunc remanſiſſe cum Magdalena, & Dominum Jeſum eas omnes conſolatum fuiſſe de cita ſua reverſione.

Qualiter Judęi mulierem in adulterio deprehenſam adduxerunt ante Jeſum, volentes eum ponere in perplexitate. Cap. 64.

VIgilabant in malitiis ſuis peſſimi Principes, & Phariſæi contra Dominum Jeſum, & ſollicitè pertractabant, & procurabant, quomodo eum per aſtutias, & fallacias vincerent, & notabilem populo redderent, & retorquebantur in eos ſagittæ eorum. Cum igitur quædam mulier in adulterio deprehenſa eſſet, & ſecundum legem deberet mori, ſeu lapidari, adduxerunt eam ad Dominum Jeſum Chriſtum in Templo, quærentes, quid de ipſa faciendum eſſet, quaſi volentes eum ponere in perplexitate, ut ſi legem ſervandam diceret, eſſet contra miſericordiam, quam prædicabat, & ſi dixiſſet fore liberandam, eſſet cõtra legem. Scrutans corda, & renes Dominus, cognoſcens verſutias eorum, & declinare ſciens, humiliter ſe inclinavit, & digito ſcribebat in terra. Et ut dicit Gloſſ. ſcribebat

bebat peccata eorum, & illa Scriptura tantæ erat virtutis, quod quilibet eorum cognoſcebat peccata ſua. Dominus autem ſe erigens, dixit. Qui veſtrum eſt ſine peccato, primus in illam lapidem mittat. Et iterum ſe inclinavit. Curvaris Domine adverſariis tuis, quaſi diſſimulans, ut declinarent à ſtultitia ſua. At illi tacuerunt omnes. Et ſubito unus exibat poſt alium, & evanuerunt eorum aſtutiæ. Mulieri autem dixit. Ubi ſunt, qui te accuſabant? Dixit mulier. Domine nemo eſt. Et Dominus. Nec ego te condemnabo. Vade, & noli amplius peccare. Et ſic licentiavit eam. Conſpice bene eam in omnibus prædictis verbis, & factis.

Quomodo Dominus Jeſus cœnavit in domo Symonis, ubi Magdalena unxit caput ejus, & pedes. Cap. 65.

SIcut in ſuperioribus ad noſtram inſtructionem Dominus Jeſus faciendo, uſus eſt prudentia, oſtendens pro loco, & tempore, quod furiam perſequentium cautè declinare debemus. Ita nunc utitur fortitudine, quia debitò tempore imminente, ſpontè rediit, ut ſe offerat Patri, & ſe in manus perſequentium tradat. Rediit igitur Dominus Jeſus die Sabbathi ante diem Palmarum Bethaniam, quę eſt propè Hieruſalem, & ibi fecerunt ei

cœ-

cœnam in domo Symonis leproſi. Sed & ibi fuerunt Lazarus, Maria, & Martha. Erant forte conſanguinei, vel multum domeſtici ejuſdem Symonis. Tunc autem Maria fudit ſuper caput ejus libram Unguenti pretioſi, & ex eo unxit caput, & pedes. Et quod alia vice fecit in eadem domo ex contritione, nunc facit ex devotione. Diligebat enim eum ſuper omnia, & de obſequendo eidem ſatiari nõ poterat. Sed murmuravit de hoc proditor Judas, pro qua Dominus reſpondit, & eam more ſolito defendit. Nihilominus proditor indignatus remanſit, & inde proditionis cauſam aſſumpſit. Et die Mercurii ſequenti, illum prodidit, & triginta argenteis vendidit. Conſpice ergo eum ante cœnãtem cum illis amicis ſuis, & converſantem cum ipſis paucis diebus, ſcilicet uſque ad paſſionem ſuam; ſed amplius in domo Lazari. Domus namque ipſius, & ſororum erat refugium ipſius temporale. Ibi enim comedebat, & bibebat cum Diſcipulis ſuis. Ibi & Mater ejus Domina noſtra converſabatur cum ſororibus, & multum eam honorabant omnes, & maximè Magdalena eam aſſociando. Conſpice benè ipſam Dominam, quia ſtat timore perterrita de dilectiſſimo Filio ſuo, nec ſe ab eo ullo tempore ſeparabat. Et cum Dominus defenderet Mariam Magdalenam à murmure proditoris, dixit. Mittens Unguentum

hoc in caput meum, ad ſepeliendum me fecit. An non credis, quod hujuſmodi verbi gladius Matris animam pertranſierit? Quid autem expreſſius de morte ſua poterat dicere? Similiter & omnes alii ſtabant perterriti, & anxii, cogitationibus pleni, colloquentes adinvicem unus cum altero. Et maximè timebant quando ibant per Hieruſalem. Multa enim ab iſta die ſabbathi uſque in die cœnæ locutus eſt Judæis, & operatus eſt palam in Hieruſalem. De quibus in dicendo, non referam, niſi de adventu ſuper Aſello, ne meditatio paſſionis ipſius impediatur. Unde totum tuum collige ſpiritum, ne ad alia ſit diſtractus, ut tam ad hæc myſteria, quæ præcedunt, quàm ad ipſam paſſionem mente vacua, & valde pervigili poſſis intendere, & iterum converſeris in Bethania cum prædictis.

De adventu Domini in Hieruſalem ſuper Aſello. Cap. 66.

SEquebantur myſteria, implebantur Scripturę per Dominum Jeſum. Appropinquante tempore, quo volebat Mũdo remedium conferre, per paſſionem proprii corporis: igitur die ſequenti ſummo mane, ſcilicet die Dominico paravit ſe ad eundum in Hieruſalem, novo, & inſueto modo, ſed ſicut fuit prophetatum. Cumque progredi vellet, Mater pio affe-

ctu

ctu retrahebat eum, dicens. Fili mi dulciſſime, quo vis ire? Tu ſcis conſpirationem contra te factam; rogo te, ut non vadas. Similiter Diſcipulis, & aliis videbatur intollerabile, quod illuc iret, & ut poterant, retrahebant eum. Dicebat Magdalena. Magiſter non eatis pro Deo. Vos ſcitis, quòd deſiderant mortem veſtram, & vos itis ad manus eorum. Hodie vos capient, & habebunt intentum ſuum. O Deus, quomodo diligebant eũ, & quomodo erat eis amarum quicquid lædebat eum Ipſe aliter diſpoſuerat, qui univerſorum ſalutem ſitiebat: & reſpondit eis. Voluntas Patris mei eſt, quòd ego vadam. Surgite, ne timeatis, quia Pater meus defendet nos: & hoc ſero huc redibimus illeſi. Cœpit igitur ire, & illa parva comitiva fidelis ſecuta eſt eum. Cum autem appropinquavit Betſage, miſit Diſcipulos ſuos, ut ſibi adducerent Aſinam, & pullum ejus alligatos in loco publico, & ad miniſteria pauperum deputatos. Quo facto, Dominus Jeſus primo ſuper Aſinam, & parum poſt ſuper pullum humiliter aſcendit: ſuper quos Diſcipuli ſui veſtimenta poſuerunt: & ſic æquitabat Dominus Mundi? Conſpice nunc benè ipſum, & vide, quomodo in hoc ſuo honore, vituperabant honorabilem pompam mundi. Non enim fuerunt Animalia frenis, & ſellis deauratis more ſtultitiæ mundialis ornata, ſed vilibus

pannis, & duobus funiculis: cum eſſet Rex Regum, & Dominus Dominorum. Turbæ autem cum ſcirent, quòd Jeſus appropinquabat, exierunt obviam ei. Et ut Regem cum hymnis, & canticis, & veſtium ſuarum, & ramorum ſtratione, ac lætitia magna ſuſceperunt eum. Nam cum fuit prope Hieruſalem, flevit ſuper eam, dicens. Quia ſi cognoviſſes & tu: ſcilicet fleres. Debes ſcire, quòd tribus vicibus legimus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum fleviſſe. Una de morte Lazari, ſcilicet humanam miſeriam. Alia hic, ſcilicet humanam cœcitatem. Tertia vice flevit in Cruce, ſcilicet humanam culpam, & malitiam, quia videbat quòd paſſio ſua omnibus ſufficere poterat.

Qualiter Dominus Jeſus intravit in Hieruſalem. Cap. 67.

CONſpice igitur nunc ipſum flentem: nam & tu deberes flere cum eo. Flevit enim fortiter, & largiter, & non ſimulanter, quia nos verè diligebat. Unde corde amaro dolebat, & flebat eorum periculum ęternale. Conſpice etiam Diſcipulos, qui libenter vadunt, & diligenter ſemper juxta ipſum cum tremore, & reverentia. Conſpice etiam Matrem cũ Magdalena, & aliis fœminis ſequentibus eum. Nec credere debes, quòd ipſo flente,

te, potuerit Mater, & alii ſe à lachrymis continere. Intravit ergo Dominus Jeſus cum iſto triumpho, & honore turbarum in Civitatem: de quo tota Civitas commota fuit. Venit autem ad Templum, & ejecit vendentes, & ementes, & fuit ſecundo, & tertio. Et ſtetit Dominus Jeſus publicè in Templò, prædicans populo, & reſpondens Principibus, & Phariſæis uſque quaſi ſero. Et licet hìc honoratus fuiſſet ab illis, non eſt tamen inventus aliquis, qui eum ad comedendum, & bibendum invitaſſet. Tota ergo die ipſe, & ſui jejunaverunt, & ſero cum eis Bethaniam rediit. Conſpice ergo benè ipſum, quia valdè humiliter vadit cum illis paucis, qui ſic honorificè venerat mane. Potes conſiderare quomodo Magdalena, & alii gaudebant, quando honorabatur à turbis, & multo magis cum Bethaniam redierunt illæſi.

Qualiter Domina, & Magdalena inſtabant die mercurii in ſero, ut Dominus faceret Paſcha cum eis, & quòd non iret in Hieruſalem. Et qualiter Dominus eis revelavit tempus ſuæ paſſionis. Cap. 68.

HIc poteſt interponi meditatio valdè pulchra, de qua tamen Scriptura non loquitur. Cœnante namque Domino Jeſu die mercurii cum Diſcipulis ſuis in domo Mariæ, & Marthæ, & Ma-

tre

tre ejus cum mulieribus in aliqua parte domus, Magdalena miniſtrabat, rogavitque Dominum, dicens. Mag[illegible]is memor, quòd faciatis hìc Paſcha nobiſcum, rogo vos, ut non denegetis hoc mihi. Qui nullatenus acquievit, ſed dixit ei, quòd in Hieruſalem faceret paſcha. Illa recedens cum fletu, & planctu, vadit ad Dominam, & his enarratis, rogat ut ipſa eum roget. Cœna igitur facta, vadit Dominus Jeſus ad Matrem, & ſedit cum ea ſeorſum loquens cum ea, & copiam ei ſuæ pręſentiæ exhibens, quam in brevi tempore ſubtracturus ab ea erat. Conſpice nunc bene ipſos pariter ſedentes, & quomodo reverenter Domina eum ſuſcipit, & cum eo affectuoſe moratur. Et ſimiliter, quomodo Dominus Jeſus Chriſtus reverenter ſe habet ad ipſam. Ipſis ergo ſic colloquentibus, Magdalena venit ad eos, & ad pedes eorum ſedens, dixit. Domina ego invitabam Dominum Magiſtrum meum, ut hìc faceret paſcha; ipſe verò videtur velle ire in Hieruſalem ad paſchandum, ut capiatur ibi: rogo vos, ut non permittatis eum ire. Ad quem Mater. Fili mi rogo te, ut non ſic fiat: ſed faciamus hìc paſcha. Scio enim, quòd inſidiæ ad te capiendum ordinatæ ſunt. Et Dominus ad eam. Mater chariſſima: voluntas Patris mei eſt, ut faciam ibi paſcha, quia tempus redemptionis advenit. Modo implebuntur, quę de me dicta ſunt: & ſa-

& facient in me quicquid volent. Et illæ cum magno dolore audierunt, quia benè intellexerunt, quòd de morte ſua dicebat. Mater verò vix valens verba formata proferre, ait. Fili mi, tota concuſſa ſum à voce iſta, & cor meum derelinquit me. Provideat Pater, quia neſcio quid dicam: neſcio ſibi contradicere. Sed ſi ſibi placet roga eum, quòd differat ad præſens, & faciamus hic paſcha cum iſtis amicis noſtris. Ipſe verò, ſi ſibi placuerit, poterit providere alio modo redemptionis ſine tua morte, quia omnia poſſibilia ſunt ei. O ſi videres inter hæc Dominam plorantem, & Magdalenam tanquam ebriam de Magiſtro ſuo largiter flentem: forte nec tu poſſes lachrymas continere! Conſidera in quo ſtatu eſſe poterant, quando hoc tractabatur. Dixit ergo Dominus blandè conſolans eas. Nolite flere. Scitis enim, quod obedientiam Patris mei oportet me implere. Sed pro certo confidite, quòd citò revertar ad vos: & tertia die reſurgam incolumis. In Monte ergo, ſicut oportet, ſecundum Patris voluntatem, faciam paſcha. Dixit autem Magdalena. Ex quo non poſſumus eum tenere hic, ſimus in domo noſtra de Hieruſalem. Sed credo, quod nunquam habui paſcha ſic amarum: nec acquievit Dominus, quòd ipſe in alia domo faceret paſcha.

INCIPIUNT MYSTERIA PASſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

De cœna Domini facta cum Diſcipulis. Cap.69.

ADveniente igitur, & imminente tempore miſericordiarum Domini, quo diſpoſuerat ſalvam facere plebem ſuam, & eam redimere, non corruptibilibus auro, & argento, ſed pretioſo Sanguine ſuo, voluit cœnam facere cum Diſcipulis ſuis notabilem, antequàm diſcederet ab eis per mortem, in ſignum memoriale recordationis: & etiam, ut implerent myſteria, quæ reſtabant. Fuit autē hæc cœna magnifica valdè, & magnifica ſunt, quæ fecit ibi Dominus Jeſus, atque intuenda. Quod ſi hoc feceris dignè, & vigilanter, non patietur curialis Dominus te redire jejunum. Circa ipſam igitur principaliter quatuor, quæ ibi notabiliter facta fuerunt, meditanda occurrunt. Prima, ipſa corporalis cœnatio. Secunda, pedum Apoſtolorum per Dominum Jeſum ablutio. Tertia, ſui Corporis ſacratiſſimi inſtitutio. Quarta, pulcherrimi ſermonis per ipſum compoſitio. De quibus per ordinem videamus. Circa primum attende, quòd Petrus, & Joannes iverunt, ad juſſum Domini Jeſu, ad quendam amicum ſuum in mōtem Syon, ubi

ubi erat cœnaculum grande ſtratum, ad præparandum paſcha. Sed & Dominus Jeſus cum aliis Diſcipulis die jovis, ad veſperaſcente jam die, Civitatem intravit, & ad ipſum locum ivit. Aſpice nunc eũ ſtantem in aliqua parte domus, & colloquentem cum Diſcipulis ſuis ſalubria: & interim cœnaculum parabatur pro eis, per aliquos ex ſeptuaginta duobus Diſcipulis. Cum autem eſſet cœnaculum paratum, dilectiſſimus Joannes prædictus, qui ſolicitè ibat, & redibat ad videndum in præparatione prædicta, venit ad Dominum Jeſum, dicens. Domine, vos poteſtis cœnare, quando placuerit vobis. Et quę fiunt viſceroſa ſunt valdè, nec brevianda ſunt, ſed dilatanda, ſicut & cætera facta Domini Jeſu. In hac enim eſt maxima vis omnium meditationum de ipſo: ſed iſtius magis per exceſſiva amoris inſignia, quæ in hac cœna fuerunt. Sedet ergo Jeſus, & Diſcipuli ejus cum eo. Joannes verò ſe ejus lateri conjungens, ab eo ſe deinceps non ſeparat. Nullus enim ſic fideliter, & familiariter adhæſit eidem, ut Joannes. Nam cum captus fuit, ſecutus fuit eum in atrium Principis Sacerdotum, nec in crucifixione, nec in morte dimiſit eum, quouſque fuit ſepultus. In hac autem cęna juxta eum ſedit, licet eſſet minor aliorum. Deinde lavant manus, & circunſtantes benedicunt menſam. Scire enim debes, quòd

quòd menſa ipſa erat in terra more antiquorum : in terra ſederunt ad cœnam. Benedictione igitur facta per dexteram Domini, ſedent circa menſam : Joanne ſedente juxta Dominum Jeſum. Tunc eis defertur Agnus paſchalis. Delatum igitur Agnum paſchalem, accepit verus, & immaculatus Agnus, qui erat in medio eorum, tanquàm qui miniſtrat, ſcidit eum in fruſta, & Diſcipulis alacriter porrigit, & eos ad comedendum confortat. Ipſi verò comedebant : ſed alacriter non capiebant : ſemper timidi, ne novitas contra Dominum fieret. Cenantibus autem eis, patefecit factum apertius, & inter alia, dixit. Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum, antequàm patiar. Unus autem veſtrum me traditurus eſt. Hæc vox in corde ipſorum quaſi gladius acutus intravit, & comedere ceſſaverunt inſpicientes ſeipſos, & dicentes. Numquid ego ſum Rabbi ? Aſpice nunc benè, & compatere tam Domino Jeſu, quàm eis : quia in magno dolore poſiti ſunt. Ille autem proditor, ne viderentur hæc verba pertinere ad ipſum, comedere non ceſſavit. Joannes verò ad inſtantiam Petri quæſivit, & dixit. Domine, quis eſt qui tradet te ? Et Dominus Jeſus familiariter ei tanquam ſingulari dilecto aperuit. Joannes autem ſtupefactus, & cordialiter gladiatus, verſus eum ſe inclinavit, & ſupra pectus ejus recubuit. Nunc

ergo

ergo conſpice benè Domini benignitatem, quomodo ſuum dilectum ſupra pectus ſuum retinet. O quam tenerrime ſe adinvicem diligunt. Conſpice & alios Diſcipulos mẹſtos, ad hanc Domini vocem non comedentes: ſed adinvicem aſpicientes, & ſuper his conſilium capere neſcientes.

De ablutione pedum Diſcipulorum. Cap. 70.

HIis namque ſic ſe habentibus, ſurgit Dominus à cœna: ſurgunt ſtatim & Diſcipuli, ignorantes quo ire velit. Ipſe autem deſcendit cum eis in alium locum inferius in eadem domo (ut dicũt qui locum viderunt) & ibi omnes ſtare facit: & aquam ſibi jubet afferri. Deponit veſtimenta ſua, & lintheo ſe præcingit: aquam mittit in peluim lapideam, ut lavaret ipſorum pedes. Conſidera nunc benè ſingulos actus, & cum admiratione, quæ geruntur. Inclinavit ſe ſumma majeſtas, & humiliavit ſe uſque ad Piſcatorum pedes. Stat ibi curvatus, & genibus flexis coram ipſis ſedentibus: lavat propriis manibus, & abſtergit, & oſculatur omnium pedes. Sed & hoc ſuperexaltat humilitatem, quia proditori eadem obſequia præbet. Sed o cor nequam & ipſa duritia durius: ſic ad tantam humilitatem non miteſcit? ſic Dominum non vereris? ſed vhæ tibi o miſer! Tu quidem obdu-

obduratus quod concepiſti, parturies: non tamen ipſe, ſed tu peribis. Hoc autem completo myſterio, rediit ad locum cœnæ: & iterum recumbens eos ad ſuum exemplum imitandum confortat. Potes autem meditari, quod Dominus Jeſus dedit vobis exemplum in iſto.

De ſacratiſſimi Corporis Domini Jeſu inſtitutione. Cap. 71.

DUm igitur lotis Diſcipulorum pedibus, iterum recubuiſſet, volens dare finem legalibus ſacrificiis, & novum incipere teſtamentum, ſeipſum ſacrificium fecit, & accipiens panem, & oculos ad Patrem elevans, confecit altiſſimum Sacramentum Corporis ſui, & dans Diſcipulis, dixit. Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter & Calicem, qui pro vobis effundetur. Aſpice nunc benè pro Deo, quomodo diligenter, fideliter, & devotè prædicta facit, & manibus propriis communicat illam benedictam, & dilectam familiam ſuam. Et tandem in amoris recordationem, hoc eſt memoriale, quòd animam facit gratam, cum ipſum ſuſcipit comedendo.

De ſermone Domini, quem in die cœnæ fecit Diſcipulis ſuis. Cap. 72.

CIrca quartum verò, facit eis ſermonem pulcherrimum, ignitum, plenum carbonibus dulcedinis, & amoris. Poſtea dixit Dominus Judæ. Quod facis, fac citius. Ille autem infœlix egrediens, ivit ad Principes Sacerdotum, quibus eũ die mercurii vendiderat triginta argenteis, & ab eis accepit cohortem ad ipſum capiendum. Interim Dominus fecit dictum ſermonem. Ex cujus ornata utili, ac veneranda magnitudine, quinque meditanda principaliter aſſume. Primum, quando prædixit eis diſceſſum ſuum, & confortabat eos. Dicebat namque, adhuc modicum vobiſcum ſum, ſed non relinquam vos orfanos, vado, & venio ad vos. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum. Hæc, & hiis ſimilia, quæ ſuccinctè pertranſeo, dicebat eis: quæ verba corda ipſorum totaliter penetrabant. Secundo, circa ſermonem mediteris, qualiter cordialiter, & inſtanter inſtruxit de charitate, dicens pluries: Hoc eſt præceptum meum, &c. Et in hoc cognoſcent, &c. Tertio, circa ſermonem mediteris, quomodo monet eos ad obſervantiam mandatorum ſuorum, dicens. Si diligitis me, mandata mea ſervate; etſi præcepta mea ſervaveritis, manebitis

tis in dilectione mea. Quarto, circa ſermonem, mediteris qualiter dat eis confidentiam circa tribulationes, quas prædixit eſſe venturas, & dixit. In Mundo præſſuram habebitis, ſed confidite, quia ego vici Mundum. Et iterum, ſi Mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Quinto, circa ſermonem mediteris, qualiter ipſe Dominus Jeſus tandem aſpiciens in Cœlum, ſe vertit ad Patrem, dicens. Pater, ſerva iſtos, quos mihi dediſti, cùm eſſem cum eis, ego ſervabam eos, nunc autem ad te venio Pater ſancte: ego pro eis rogo, non pro mundo, & non pro ipſis tantum, ſed pro omnibus, qui in me credituri ſunt per eos. Pater, quod dediſti mihi volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant claritatem. Conſpice Diſcipulos, quomodo ſtant mœſti, capitibus inclinatis, plorantes, & ſuſpiria dantes, pleni ſunt omni triſtitia uſque ad ſummum. Inter alios conſpice Joannem eidem familiarem cohærentem, qualiter attentè, & diligenter aſpicit hunc dilectum ſuum. Inter alia quoque dixit. Surgite eamus hinc, nihilominus locutus eſt eis. Conſpice ergo nunc Diſcipulos euntes poſt eum, & quilibet eorum nititur ad eum magis appropinquare. Ipſe verò libenter ſuſtinebat eos. Attende ergo ad ſingula,

acſi

acſi præſens eſſes, & cerne eum cum à cœna exierit. Completo ſermone vadit in hortum cum Diſcipulis ſuis, & eos ad orationem hortatur.

De oratione Domini in Horto, & ejus ſudore ſanguineo. Cap. 73.

PRogrediens humiliter, ac reverenter, poſitis genibus orat Patrem. Orat nunc Dominus Jeſus, ſed hactenus legitur oraſſe pluries, & pro nobis, ut advocatus noſter, nunc pro ſe orat. Certe orat Patrem, ut non moriatur, ſi ei placet: Et cum Patre habet hoc expedire negotium, & non exaudietur ſecundum aliquam voluntatem, quæ in eo erat. Vult enim Pater, quod pęnitus moriatur. Etenim unico, & proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus tradidit illum. Sic enim dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Dominus autem Jeſus hanc obedientiam ſuſcepit, & ſequitur reverenter. Orat Dominus Jeſus Patrem prolixè, dicens. Mi Pater clementiſſime rogo te, ut exaudias orationem meam, & non deſpexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me. Pauper fui à juvētute mea, faciens voluntatem tuam, & omnia quæ mandaſti feci, & paratus ſum complere omnia. Summe Pater ſancte, ſi fieri poteſt, tolle à me tantam amaritudinem, quæ mihi parata eſt ab adver-

ſariis meis. Rogo te Pater, ut transferas calicem iſtum à me. Si autem aliter tibi videtur, non mea, ſed tua voluntas fiat. Rediens, ut dixi, ad orationem ſecundo, & tertio, eodem ſermone oravit, & addidit. Pater juſte, ſi ſic decreviſtis, ut pęnitus Crucis patibulum pro humano genere ſubeam, fiat voluntas tua. Sed commẽdo tibi dilectiſſimam Matrem meam, & dilectos Diſcipulos meos, quos hucuſque ſervavi, cum eſſem cum eis, Pater ſerva eos à malo. Sed interim ſacratiſſimus Sanguis undique in modum ſudoris erũpens in hac agonia, ſive certamine, dum prolixius orat, uſque ad terram abundanter decurrit. Dum autem ſic oraret, & eſſet anxiatus Dominus Jeſus: ecce Angelus Domini princeps Michael aſtitit confortans eum, & dixit. Orationem veſtram, & ſudorem veſtrum ſanguineum Patri veſtro obtuli in conſpectu totius Curię ſupernę, & omnes procidentes ſupplicavimus, ut calix iſte transferretur à vobis. Et reſpondit Pater. Novit dilectiſſimus Filius meus, quòd humani generis redemptio ſine ſui ſanguinis effuſione decenter fieri non poteſt. Et ideo ſi ſalutem vult eorum, eum oportet pro ipſis mori. Tunc reſpondit Dominus Jeſus Angelo. Salutem animarum omnino volo, & idcircò potius eligo mortem, ut ſalventur animæ, quas ad ſuam imaginem Pater creavit. Fiat igitur voluntas

Pa-

Patris mei. Humilis Dominus humiliter, & reverenter ſuſcepit hanc confortationem à ſua creatura. Surgit ergo ab oratione totus sãguine madefactus. Quem conſpice tergentem ſibi viſum, vel fortè in torrentem lavantem, totumque afflictum. Unde orabat Patrem, ſi fieri poſſet, cum ſalute Judæorum, quòd credat multitudo gentium. Si verò Judæi excœcati ſunt, ut alii videant, non mea, ſed tua voluntas fiat. Venit autem ad Diſcipulos ſuos poſt hæc, & dixit eis. Dormite jam, & requieſcite. Et illi aliquantulum ibi dormierunt. Bonus autem Paſtor vigilat ſuper cuſtodia puſilli gregis ſui.

Quomodo Judas applicuit cum Turba ad Jeſum, & ductus eſt ad Pontifices.
Cap. 74.

INterim videbat à longè adverſarios venientes cum fuſtibus, & armis, nec tamen Diſcipulos excitavit, niſi cum propè quaſi juxtà eos fuerunt. Tunc autem dixit eis. Sufficit, ſatis dormiſtis, ecce qui me tradit, appropinquat. Et adhuc illo loquente, venit ille nequam, & peſſimus mercator Judas ante illos, & oſculatus eſt eum. Dicitur, quòd Domino Jeſu erat conſuetudo Diſcipulos, quos mittebat, ex oſculo recipere redeuntes. Et propterea proditor ille oſculum dedit

in ſignum, & præcedens alios, cum oſculo rediit, quaſi dicat. Non ſum ego cum iſtis armatis, ſed rediens more ſolito te, oſculo, & dixit. Ave Rabbi. O vere, proditor! Intuearis ergo benè, quomodo patienter, & benignè ſuſcepit ipſius infelicis amplexus, & oſcula proditoris, cujus paulò ante lavavit pedes, & ſummo cibaverat cibo. Et quomodo patitur capi, ligari, & furibundè duci, acſi eſſet malefactor, & impotens ad ſe defendendum. Quomodo etiam patitur Diſcipulis fugientibus, & errantibus. Sed & ipſorum dolores cernere potes, quomodo dolentes, gemitus, & ſuſpiria dantes velut orfani, & timore perterriti recedebant. Et magis ac magis eorum augebatur dolor, cum videbant Magiſtrum, & Dominum ſuum ſic viliter tradi, canes illos trahentes, & ad victimam quaſi Agnum manſuetiſſimum ſine reſiſtentia ſequi. Unus enim apprehendit, alius ligat. Alius inſurgit, & alius exclamat. Alius impellit, alius blaſphemat. Alius expellit eum, alius vexat. Alius circumvoluit, alius interrogat. Alius contra eum falſos inquirit teſtes, alius inquirentes aſſociat. Alius contra eum falſum teſtimonium dicit, alius accuſat. Alius deludit, alius oculos velat. Alius in faciem cędit, alius colaphizat. Alius eum ad columnam deducit, alius expoliat. Alius, dum dicitur, percutit, alius exultanter ad vexandum

ſuſci-

ſuſcipit. Alius eum purpura veſtit, alius eum ſpinis coronat. Alius arundinem in manu ejus ponit. Alius furibundè reaccepit, ut ſuum caput percutiat. Alius nugatoriè genuflectit; alius ut regem ſalutat. Hæc, & multa ſimilia non ſolum alius, & alius, ſed alii, & plurimi intulerunt. Ducitur, & reducitur: ſpernitur, & reprobatur: volvitur, & circumflectitur huc, & illuc, tanquam latro, & impiiſſimus malefactor. Ducitur per mediam Civitatem, manibus poſt tergum ligatis, & chlamyde nudatus, tunica ſuccinctus non curioſè, capite diſcoopertus. Occurrunt undique cives, & advenæ, tam majores, quàm minores, & quique viliſſimi ribaldi, non ad compatiendum, ſed ad deridendum; nemo eſt, qui eum cognoſcat, ſed & luto eum, & immunditiis impetunt, & affligunt, contra eum loquebantur, qui ſedebant in porta. Cum autem præſentatur Principibus Sacerdotum, & Senioribus congregatis in unum, illi quaſi leo capta prȩda exultant, ipſum examinant, falſos procurant teſtes, condemnant, & expuunt in ejus ſacratiſſimam faciem, oculos velant, colaphizant, alapis cȩdunt, dicentes. Prophetiza, quis eſt qui te percuſſit. Impellitur, & anxiatur, trahitur, & acceleratur, & ſic fatigatur. Flagellatur, maceratur, & opprobriis ſaturatur.

Quomodo Dominus Jeſus dirè flagellatur à Miniſtris, & quomodo Joannes revertitur ad Dominam, annuncians quæ fiunt Domino Jeſu. Cap. 75.

TAndem illi majores receſſerunt, mittentes eum in quodam carcere ſubtus ſolarium, & ligaverunt eundem ibi ad quandam columnam lapideam, & dimiſerunt cum eo aliquos armatos ad cuſtodiendum, qui eum per totam noctem vexaverunt deriſionibus, & maledictionibus vocantes, & dicentes. Credis tu eſſe melior, & ſapientior Principibus, & Sapientibus noſtris? Quę ſtultitia erat tua? Non debebas contra eos os tuum aperire. Quomodo fuiſti ita auſus? Sed nunc apparet ſapientia tua. Tu ſtas nunc ſicut convenit peccatis tuis. Dignus procul dubio es morte, & tu habebis eam. Et ſic per totam noctem modo unus, modo alius inſultant verbis, & factis contra eum. Quanta enim dicunt, & faciunt hujuſmodi hii mercenarii viliſſimi, cum poſſint indiſcretè, irreverenter, & indecenter. Vide Dominum tuum verecundum, & patienter tacentem ad omnia, tanquam in culpa deprehenſum, vultu in terra demiſſo. O Domine, ad quorum manus veniſti? Quanta eſt patientia tua! Et ſic ſtetit rectus ad dictam columnam ligatus uſque ad mane. Interim

Joan-

Joannes vadit ad Dominam, & reperit eam in domo Magdalenæ, in qua cœnam fecerant, & narravit ea quę Domino contigerunt. Tunc indicibilis planctus, ululatus, & clamor factus eſt ibi. Tandem Domina ſecedit in partem, & in orationem ſe convertit, dicens. Pater reverendiſſime, & Pater piiſſime, Pater miſericordiſſime, commendo vobis Filium meũ unigenitum, non ei ſitis crudelis, qui cunctis eſtis benignus. Pater æterne, moritur Filius meus. Nihil enim mali fecit. Sed Pater juſte, ſi redemptionem vultis generis humani, per alium modum obſecro faciatis, quia omnia poſſibilia ſunt vobis. Rogo Pater ſanctiſſime (ſi vobis placet) ut non moriatur Filius meus. Liberate ipſum de manibus peccatorum, & reddite eum mihi. Ipſe propter reverentiam, & obedientiam non ſe juvat. Derelinquit ſeipſum, & tanquam imbecillis, & impotens ſtat inter illos, unde eum vos juvate.

Quomodo ducitur Dominus ad Pilatum. Cap. 76.

MAne autem facto, tempeſtivè redierunt Principes, & majores Populi, & fecerunt ligari manus poſt tergum, dicentes. Veni latro nobiſcum, veni ad judicium. Hodie complebuntur maleficia tua, modo apparebit ſapientia tua. Du-

cebant eum ad Pilatum, & ipſe tanquam innocens ſequebatur eos,cum eſſet agnus innocentiſſimus. Cum autem Mater, & Joannes, & aliæ mulieres, ſummo mane exierunt foras, & venerunt ad eum,& occurrerunt ei videntes eum ſic vituperabiliter, & ſic enormiter à tanta multitudine duci, quanto repleti ſunt dolore, dici non poteſt. In illo autem mutuo aſpectu fuit dolor utriuſque. Nam ipſe Dominus affligebatur multum ex compaſſione, quam habebat ad ſuos, maximè ad Matrem. Sciebat enim, quòd pro ipſo dolebat uſque ad evulſionem animæ, & corporis. Ducitur ergo Dominus ad Pilatum, & à longè ſequuntur, quia approximare non poterant. Accuſatur ab illis de multis, ipſe verò tacebat. Præſes autem videns cauſam in eo non eſſe mortis, miſit ad Herodem. Herodes verò cupiens videre de ſuis miraculis, gaviſus eſt, ſed nec miraculum, nec verbum aliquod habere potuit. Igitur ex hoc reputans eum ſtultum, fecit in deriſionem eum indui veſte alba, & remiſit eum Pilato. Ipſe autem omnia patientiſſimè tollerabat. Et dum ducitur, & reducitur, demiſſo vultu, & verecundè incedentem, & omnium clamores, & ſubſannationes audiẽtem, & fortè lapidum percuſſiones, & Matrem, & Diſcipulos benè intuere.

✠)(✠

Qua-

Qualiter Dominus reductus ad Pilatum, fuit flagellatus, & veſte rubea indutus, coronatus, cum arundine in manu. Cap. 77.

Reducto autem ad Pilatum, illi canes cum audacia magna, & conſtantia proſequuntur ſuas accuſationes. Sed Pilatus cauſam mortis non inveniens in eo, nitebatur eum dimittere. Dixit ergo, corripiam eum, & dimittam. O Pilate, Pilate, tu Dominum caſtigas, neſcis quid agis, quia nec mortem, nec flagella meretur. Rectius ageres, ſi te ad ſuum nutum corrigeres. Juſſit autem eum flagellari. Spoliatur ergo Dominus Jeſus, ad columnam ligatur, & duriſſimè flagellatur. Stat nudus coram hominibus, juvenis, verecundus, ſpecioſus forma pre filiis hominum. Caro enim illa innocentiſſima, & tenerrima, mundiſſima, & pulcherrima. Flos enim carnis, & totius humanę naturæ repletur livoribus, & fracturis. Fluit undique vivus ſanguis de omnibus partibus corporis. Superadditur, reiteratur, & ſpiſſatur livor ſuper livorem, fractura ſuper fracturam, quouſque tam tortoribus, quàm inſpectoribus fatigatis, jubetur ſolui. Tunc impletum eſt, quod ait Eſaias. Vidimus, inquit, eum, & non erat ibi aſpectus, & reputavimus eum, quaſi leproſum, & à Deo humiliatum. O Domine Jeſu Chriſte, qui fuit ille tam

audax, & tam temerarius, qui te expoliavit, & illi audaces, qui te ligaverunt, & flagellaverunt? Sed tu Sol juſtitię tuos radios ſubtraxiſti: & ideò illi ſunt tenebræ, & tenebrarum poteſtates; omnes ſunt te potentiores. Soluto Domino à columna, ducunt eum ſic nudum, ſic flagellatum per domum, perſcrutando de pannis ſuis, qui quaſi per domum projecti fuerant à flagellatoribus, & expoliatoribus. Intuere benè ſic afflictum, & trementem propter frigus. Cumque ſe vellet veſtire, accedunt quidam impiiſſimi, dicentes Pilato. Domine, hic ſe Regem facit; veſtiamus eum, & coronemus eum more Regis. Et tunc accipientes quandam chlamydem ſericeam, rubeam, turpem, veſtierunt eum, & ſpinis coronaverunt. Purpuram ſuſcipit, caput coronæ ſpineæ præparat, arundinem in manu tolit, & ipſis genuflectentibus, & ſalutantibus, tacet, & obmuteſcit. Perforabant namque caput ejus ſacratiſſimum acerbiſſimæ illæ ſpinæ, ac totum ſanguine madefaciebant. Illudebant namque ei, tanquam regnare volenti, & non valenti. Omnia autem ſuſtinet, ſed nec illis ſuffecerat, quod ad majorem illuſionem, totam cohortem aggregarunt, ſed & ipſum coram Pilato, & toto populo adducunt foras publicè, ſic illuſum, & apportantem ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum. Vide quomodo facie demiſ-

ſa in terra, ſtat ille benedictus, coram tanta multitudine, vociferante, & clamante. Crucifige, crucifige eum, & ſemper eum deridentes, quaſi ſapiẽtiores eo fuiſſent, & quaſi dicerent. Nõ apparet, quòd ipſe ſe habuit inſipienter contra Phariſæos, & Principes, qui ſic eum aptari fecerunt. Petiit igitur tota Judęorum multitudo vocibus magnis, ut crucifigeretur. Rident, & derident eum, qui verus, & æternus Deus eſt. Reducitur autem Dominus intus, & ſpoliatur purpura, & adhuc nudus eſt coram eis, datur ei veſtiendi licentia. Adverte ante oculos tuos advenientem, & eum purum hominem conſidera, & videbis juvenem elegantem, nobiliſſimum, & innocentiſſimum. Totum autem flagellatum, & livoribus reſperſum, & pannos de terra recolligentem, & cum quadam verecundia, & rubore, ſe nudatum coram ibi ipſum ſemper irridentibus. Nam modo recolligit unam tunicam, modo aliam, & ſic coram illis ſe reveſtit. Vide poſtea divinitatem, & conſidera illam immenſam, æternam, & incomprehenſibilem, & imperatoriam majeſtatem, incarnatam, flectentem ſe ac ſi eſſet homo viliſſimus. Quo reveſtito, ducunt eum foras, ne mortem differant. Et tunc venerabile lignum Crucis longum, & groſſum, & multum grave ponunt ſuper humeros ſuos, quod Agnus manſuetiſſimus patienter ſuſcipit, & por-

 tat,

tat, & tunc ducitur, & acceleratur, & opprobriis ſaturatur, ut ſupra in principio tractatum eſt. Ductus autem fuit foras cum ſuis ſociis duobus Latronibus, hæc eſt ſocietas ſua. Vide quomodo vadit Chriſtus curvus ſubtus Crucem, & vehementer anxius anhelat. Sed mœſta Mater propter multitudinem gentium ei appropinquare non poterat, nec eum videre, ivit per aliam viam breviorem celeriter cum Joanne, & ſociabus ſuis, ut alios præcedens, eidem appropinquare valeret. Cum autem extra portam Civitatis in curſu viarum cum habuit obvium cernens eum ſic oneratum ligno tam gravi, quod primò non viderat, ſemimortua facta præ anguſtia, nec ei verbum dicere potuit; nec Dominus ei accedere potuit propter illos, qui eum ad crucifigendum ducebāt. Ulterius autem Dominus procedens parumper, vertit ſe verſus mulieres flentes, & dixit eis. Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, &c. Cum ergo ulterius proceſſiſſet, & ita eſſet fatigatus, & confractus, quòd amplius Crucem portare non poſſet, depoſuit eam. Illi autem peſſimi differre nolentes mortem ejus, timentes ne Pilatus ſententiam revocaret, (quia oſtenderat voluntatem dimittendi eum) coegerunt quendam, ut Crucem portaret. Jeſum autem ſic oneratum, & ut latronem ligatum duxerunt ad Calvariæ locum.

Quo-

Quomodo Dominus crucifigitur præſente Matre. Cap. 78.

DUm igitur Dominus Jeſus vitupe-rabiliter ducitur ad montem Calvariç fœtidum, videas oculis mentis alios figere Crucem in terra: alios parare clavos, & martellos: alios parare ſcalam, & alia inſtrumenta: alios ordinare quicquid facere debebant, & alios ſpoliare ipſum. Spoliatur ergo, & nudus eſt coram tota multitudine; & nunc tertia vice renovantur fracturæ, propter pannos ad carnem applicatos. Nunc ergo conſpicit Mater Filium ſuum ſic aptatum, & dolore mortis affligitur, triſtatur ſupra modum, & cum rubore, quod eum videt ſic nudum. Nam etiam & fœmoralia non dimiſerunt ei. Accelerat igitur Mater, & approximat Filio, amplexatur, & texit eum velo capitis ſui. O in quanta amaritudine eſt anima ejus! Eripitur enim Filius de manibus ſuis furibundé, & ducitur ad pedes Crucis, & ponuntur duç ſchalæ, una retrorſum, alia ex brachio ſiniſtro. Super eam malefici aſcendunt cũ clavis, & martellis. Ponitur ex alia parte anteriori ſchala attingens uſque ad pedes. Compellitur Dominus Jeſus Crucem aſcendere per hanc ſchalam parvam. Ipſe autem ſine ribellione, & contentione facit, quicquid volunt. Cum igitur eſt

F 6 in ſu-

in ſuperiori gradu illius ſchalæ parvæ, vertit ad Crucem renes, & aperit illa regalia brachia: expandit manus ſuas pulcherrimas, & excelſas, porrigens eas crucifixoribus ſuis. Aſpicit in Cœlum ad Patrem, dicens. Ecce Pater hic ſum, uſque ad Crucem me humiliari voluiſti. Accepta igitur & tu Pater, deinceps placatus eſto mei amore, & omnem maculam abſterge, & elonga ab eis. Qui autem poſt Crucem eſt, accipit manum ejus dexteram, & eam Cruci clavo, & martello fortiter, & crudeliter affixit. Quo facto, ille, qui in latere ſiniſtro eſt, ſiniſtram accipit manum, & traxit quantum potuit, & extendit ponendo pedem in latere Crucis, & alium clavum percutit, immitit, & configit. Poſt hæc deſcendunt de ſchalis, & removentur omnes ſchalę: pendet Dominus, & gravamen corporis ſolum clavis manibus infixis ſuſtentatur. Alius per pedes quantum poteſt trahit, & eo ſic exiſtente, alius configit ambos pedes duriſſimo clavo. Sunt enim, qui credunt, quòd non hoc modo fuit crucifixus, ſed Cruce extenſa in terra, eum crucifixerunt, & poſtea ſic crucifixus elevaverunt. Ecce crucifixus eſt Dominus Jeſus, & in Cruce extenſus, ita quod numerari poſſent omnia oſſa ejus, ſicut per Prophetam conqueritur. Dinumeraverunt, inquit, omnia oſſa mea. Fluunt undique ſacratiſſimi rivi Sanguinis, ex illis magnis

gnis ſciſſuris, & ſic anguſtiatus eſt in ligno, quòd ſe moveri non poteſt niſi in capite. Illi tres clavi ſuſtinent totius corporis pondus. Dolores acerbiſſimos tolerat, & ultra quam dici, vel excogitari poſſit, affligitur. Pendet inter duos Latrones; undique pœna, undique opprobria. Alii blaſphemant, dicentes. Vah qui deſtruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas. Alii verò dicunt. Alios ſalvos fecit, ſeipſum ſalvum facere non poteſt. Sed & Principes Sacerdotum exclamabant. Si Filius Dei es, deſcende nunc de Cruce, & credimus tibi. Sed & Milites, qui crucifixerunt, dividunt veſtimenta ſua in præſentia ipſius. Et hæc omnia dicuntur, & fiunt præſente mœſtiſſima Matre ſua, cujus compaſſio multum augmentabat Filio paſſionem. Et è converſo, ipſa cum Filio ſuo pendebat in Cruce, & potius elegiſſet mori cum eo, quàm amplius vivere. Undique anguſtiæ ſunt, & tormenta; ſentiri potuerunt, ſed narrari non poſſunt. Stabat juxta Crucem Mater, & non avertebat oculos à Filio. Anguſtiabatur & ipſa, & toto corde orabat pro eo ad Patrem, dicens. Pater, & Deus æterne, placuit vobis ut Filius meus crucifigeretur: modo eſt tẽpus, ut eum auferam. Sed videte in quanta anguſtia eſt anima ejus Rogo, ut mitigetis ejus pœnas. Pater, commendo vobis Filium. Et ſimiliter Dominus Jeſus ora-

orabat Patrem pro ea, & tacitè intra ſe, dicebat. Ego debeo crucifigi, non ipſa, quia ipſa mecum eſt in Cruce. Sufficit crucifixio mea, quia totius Populi peccata porto. Vides eam deſolatam tota die, mœrore confectam, commendo eam tibi, ut dolores ejus tollerabiles facias. Erant autem cum Domina juxta Crucem Joannes, & Magdalena, duæ ſorores Dominę, ſcilicet Maria Jacobi, & Salome, & fortè aliæ. Quæ omnes, & maximè Magdalena ſua dilecta diſcipula vehementer flebant, nec poterat conſolari de ſuo dilecto Domino, & magiſtro. Compatiebantur & etiam Dominæ, & ſibi ipſis ſæpe renovabatur dolor, quia ſemper addebatur dolor Domino ſuo. Dominus autem in Cruce pendens, uſque ad exitus ſpiritus non fuit otioſus, ſed faciebat, & dicebat utilia pro nobis. Unde dixit ſeptem verba, quæ ſcripta reperiuntur in Evangeliis. Primum fuit in ipſo actu crucifixionis, dicens. Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Secundum fuit ad Matrem, cum dixit. Ecce Filius tuus. Et ad Joannem. Ecce Mater tua. Non vocavit eam Matrem, ne præ amoris vehementius teneritudine amplius doleret. Tertium fuit ad Latronem bonum, cum dixit. Hodie mecum eris in Paradiſo. Quartum fuit, cum dixit. Deus Deus meus, quarè dereliquiſti me, tantum dilexiſti mundum, quod me pro ipſo tradi-

diſti.

diſti. Quintum fuit, cum dixit. Sitio. In quibus verbis fuit magna compaſſio Matris, & ſociarum ejus, & Joannis; & illis peſſimis fuit magna lætitia. Nam licet exponi poſſit, quòd animarum ſitiebat ſalutem; tamen in veritate ſitivit, quia propter ſanguinis emanationem, erat totus deſiccatus intus, & arefactus. Tunc dederunt ei acetum, & fel. Sextũ verbum fuit, cum dixit. Conſummatum eſt. Quaſi dicat. Pater obedientiã, quam mihi dediſti, perfectè complevi, & adhuc quicquid mandare vis, faciam. Ego enim in flagella paratus ſum. Sed totum quod de me ſcriptum eſt, conſummatum eſt. Si tibi placet, revoca me. Et Pater ad eum. Dilectiſſime Fili mi, benè omnia feciſti; nolo quòd amplius anxieris. Veni, quia in ſinu meo, & inter brachia mea te ſuſcipiam. Et tunc cœpit oculis languere more morientium, modo aperiendo, modo claudendo ipſos: & caput inclinare, modo in partem unam, modo in partem aliam, deficientibus membris. Tandem addidit unum verbum cum clamore valido, & lachrimis, dicens. Pater, in manus tuas comendo ſpiritum meum. Et hoc dicto, inclinato capite, emiſit ſpiritum. Ad hunc clamorem converſus fuit Centurio, qui ibi erat, & dixit. Vere hic Filius Dei vivi erat, audiens quòd clamans expiraſſet. Nam alii homines cum moriuntur, clamare non poſſunt.

Et

Et ideo in eum credidit. Fuit autem ita magnus ille clamor, quòd uſque in Infernum fuit auditus. O qualis tunc erat anima Matris, quæ tam pœnosè videbat eum deficere, languere, lachrymari, clamare, & mori! Credo, quòd propter anguſtiarum multitudinem, abſorta erat, & quaſi inſenſibilis facta, ſemimortua facta eſt, nunc quippe multò magis, quàm cum obvium habuit portantẽ Crucem. Quid tunc Joannes prę omnibus ab eo dilectus? Quid tunc Magdalena fidelis, & dilecta diſcipula? Quid aliæ duæ ſorores Dominæ faciebant? Credo, quòd repletę erant doloribus, & amaritudine, & abſynthio inebriatæ. Ecce igitur pendet Dominus in Cruce mortuus, redit multitudo tota, & remanet mœſtiſſima Mater cum illis quatuor, ponunt ſe ad ſedendum prope Crucem, & contemplantur dilectũ ſuum. Expectant à Deo conſilium, & auxilium, quomodo ipſum trahere, & ſepelire valeant.

Qualiter Longinus latus Domini aperuit, & quomodo Domina timebat, ne frangerentur ei crura. Cap. 79.

COmmorantibus igitur, & ſedentibus reverenda Domina Matre, & Joanne, & Magdalena, & ſororibus Matris Domini ab una parte prope Crucem, aſpicientibus quaſi ſine intermiſſione Dominum

minum Jeſum, ſic pendentem in Cruce inter Latrones, ſic nudum, & afflictum, ſic mortuum, & ab omnibus derelictum: ecce armati multi veniebant de Civitate verſus eos, qui miſſi erant, ut ipſis crucifixis crura frangerent, & eos ſepelirent, ne in magno die Sabbathi corpora eorum remanerent illic. Tunc Domina, & omnes ſurgunt, & aſpiciunt eos. Renovatur tamen dolor, & pavor, & timor creſcit: multum quippe Domina timet, & neſcit quid faciat. Dicit autem. Fili mi dilectiſſime, qualiter iſti redeunt? Quid amplius facere volunt? Nonne te occiderunt Fili mi? Putabam ipſos eſſe ſatiatos de te, ſed ut video, adhuc te mortuum perſequuntur. Fili neſcio, quid faciam. Te non poſſum defendere, nec à morte potui, ſed veniam, & ſtabo juxta Crucem ad pedes tuos Fili mi. Rogo Patrem tuũ, ut tibi eos placabiles faciat; ego autem quod potero, faciam. Et tunc omnes quinque iverunt, & poſuerunt ſe ante Crucem Domini Jeſu. Appropinquant autem illi cum furore, & ſtrepitu magno. Et videntes Latrones adhuc vivere, frangunt eis crura, occidunt, & deponunt in foſſam aliquam. Valdè velociter deponunt, vel proiiciunt. Redeuntibus ipſis verſus Dominum Jeſum, timens Mater ne ſimile facerent Filio, tacta dolore maximo cordis intrinſecus, cogitavit ad arma ſua recurrere, ſcilicet humilitatem

ſibi

ſibi innatam, & genibus poſitis, & manibus canzelatis, vultu lachrymabili, & voce rauca, ſic omnes alloquitur, dicens. Viri fratres, rogo vos per Deum altiſſimum, ne me amplius vexare velitis in dulciſſimo Filio meo. Ego enim ſum mœſtiſſima Mater ejus. Et ſcitis fratres, quòd nunquam vos offendi, nec aliquam injuriam vobis feci. Et ſi Filius meus viſus eſt vobis contrarius, ipſum peremiſtis. Ego remitto vobis omnem injuriam, & omnem offenſam, & mortem Filii mei. Hanc tantum miſericordiam mihi facite, ne confringatis ipſum, ut ſaltem integrum valeam ſepelire, non expedit, ut ejus crura frangatis. Videtis enim, quia jam mortuus eſt, & magna hora eſt, qua deceſſit. Joannes verò, Magdalena, & ſorores ſtabant genuflexæ cum ea, & amariſſimè omnes flebant. Unus ergo, Longinus nomine, tunc impius, & ſuperbus, ſed poſt cõverſus, & martyr effectus, porrigens lanceam de longè, illos ploratus, & preces contemnens, latus Domini Jeſu dextrum aperuit vulnere grandi, & exivit ſanguis, & aqua. Tunc Mater ſemimortua cecidit inter brachia Magdalenæ. Joannes autem dolore urgente, aſſumpto vigore, inſurgit contra illos, dicens. Viri nequiſſimi, hanc impietatem facitis? Nonne videtis, quòd mortuus eſt? Quare vultis etiam hanc ſuam Matrem occidere? Diſcedatis, quia nos ſepeliemus

eum.

eum. Tunc illi ſicut Domino placuit, diſceſſerunt. Excitatur autem Domina, ſurgit quaſi evigilans, quærit, quid ſit de Filio ſuo; reſpondent, non eſſe factam aliquam novitatem. Suſpirat, & anxiatur. Ponunt autem ſe iterum omnes ad ſedendum prope Crucem; neſciunt quid facere debeant. Corpus enim deponere non poſſunt, quia neque vires habent ſufficientes, nec inſtrumenta ſunt, quibus deponant; recedere, eo ſic manente, non poſſunt.

Qualiter Dominus depoſitus fuit de Cruce, & quid egit Domina. Cap. 80.

ITerum autem vident plures alios venientes per viam. Erant enim Joſeph, & Nicodemus ducentes ſecum inſtrumẽta, quibus deponant Corpus de Cruce, & quaſi centum libras myrrhæ, & aloes portabant, & veniebant ad ſepeliendum Dominum. Tunc omnes ſurgunt cum timore magno. O Deus quanta eſt iſtorum afflictio hodie! Circumſpiciens autem Joannes, dixit. Ego cognoſco tibi Joſeph, & Nicodemum. Tunc Domina, viribus ſumptis, dixit. Benedictus Deus noſter, qui mittit nobis auxilium, memor fuit noſtri, & non dereliquit nos. Fili occurras eis, quia ipſi veniunt in auxilium noſtrum. Vadit ergo Joannes obviam eis velociter, & attingentes ſe amplexantur

cum

cipes veſtras, &c. Adoramus te Chriſte, &c. Et procidentes adoraverunt eum. Deinde ſurgentes, continuaverunt laudes ſuas, dicentes. Benedictus qui venit in nomine Domini Deus Dominus, & illuxit nobis. Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo altiſſime. Tui ſunt Cœli, & tua eſt Terra, &c. Tu es Deus noſter, Salvator noſter, abſque te non erat adjutor. Et tu Domine Deus virtutum, Deus Iſrael ad nos viſitandos intendiſti. Redemiſti animas tam duro carceri mancipatas. O ineſtimabilis dilectio charitatis! ut ſervum redimeres, animam tradidiſti. Sedentes in tenebris, & in umbra mortis adeò benigniſſime viſitaſti. Contriviſti portas aereas, & vectes ferreos confregiſti. Nox enim ſicut dies illuminata eſt ſplendore vultus tui. Suſcepimus Deus miſericordiam in medio tenebrarum. Exultate Deo, &c. Sumite pſalmum, &c. Hæc dies quam fecit Dominus, &c. Cantate Domino, pſalmum dicite nomini ejus, iter facite, &c. Qui eduxit vinctos, &c. Mirabilis Deus, &c. Nos autem adoramus eum in ſæcula, quoniam ipſe fecit nos, & redemit. Et omnes procidentes, adoraverunt eum. Tunc reſpondit Dominus, & dixit eis. Attendite populi mei vocem meam. Pax vobis. Ego enim ſum Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de terra Ægypti. Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus, qui

bus Crucis ex oppoſito. Joſeph aſcendit ſuper ſchalam lateris dextri, & ſatagit habere clavum ipſius manus. Sed difficile eſt hoc, quia idem clavus groſſus, & longus eſt, & in ligno valdè confixus, & ſine magna ſuppreſſione videtur auferri non poſſe. Evulſo illo, Joannes annuit Joſeph clam dictum clavum ſibi porrigi, ne ipſum Domina videat. Deinde Nicodemus evulſo alio, venit ad clavum pedum. Joſeph verò ſuſtentat corpus Domini. Fœlix qudem ipſe Joſeph, qui corpus Domini meruit amplexari. Tunc pendentem dextram, reverenter Domina ſuſcipit, & ponit eam ad vultum ſuū. Intuetur, & oſculatur cum lachrymis, & validis ſuſpiriis. Evulſo autem clavo pedum, pauliſper deſcendit Joſeph, & omnes accipiunt corpus Domini Jeſu, & ponunt in terram. Domina autem ſuſcipit caput cum ſcapulis in gremio ſuo. Magdalena verò pedes, apud quos tantam gratiam meruerat, & alii circunſtantes planctum magnum faciunt ſuper eum. Poſt aliquam morulam, rogat Joſeph Dominam, ut permittat eum involui in lintheaminibus, & ſepeliri. Ipſa verò contendebat, dicens. Nolite mihi tam citò auferre Filium meum, vel me ſecum ſepelite, flebat lachrymis irremediabilibus. Aſpiciebat vulnera manuum, pedum, & lateris, modo unum, modo aliud. Aſpiciebat vultum ejus, & caput; videbat ſpina-

ſpinarum puncturas, & depilationem barbæ, faciem ſputis, & ſanguine deturpatam, & deflendo, & aſpiciendo non poterat ſatiari Tardante autem hora, dixit Joannes. Domina, obediamus Joſeph, & Nicodemo, & permittamus aptari, & ſepeliri corpus Domini noſtri, quia propter nimiam moram poſſent pati calumniam à Judæis. Ad hanc vocem Domina tanquam grata, & diſcreta cogitans, quòd ipſi Joanni commiſſa eſt per Filium, noluit amplius contendere, & ſignans, & benedicens eum, permiſit aptari, ut voluerunt. Tunc Joannes, & alii cœperunt involuere corpus, & aptare cum lintheaminibus, ſicut mos erat Judæis. Domina ſemper tenebat caput ejus in gremio ſuo, & Magdalena pedes. Cum ergo veniunt ad crura prope pedes, dicit Magdalena. Rogo vos, ut permittatis me ſibi aptare pedes, apud quos ſum miſericordiam conſequuta. Quibus permittentibus, ipſa ejus pedes tenebat, & videbatur deficere præ dolore. Aſpiciebat ſic vulneratos, & perforatos, ac ſanguinolentos, & amariſſimè flebat. Nam ut veritas de ipſa perhibuit, dilexit multum, & ideo flevit multum, maximè in hoc ultimo obſequio Domini, & Magiſtri ſui, ſic afflicti, & vulnerati, ſic flagellati, ſic mortui, & ſic ad nihilum redacti. Vix cor ejus in corpore perſtare poterat, libēter expiraſſet ad pedes Domini ſui, non vide-

videbat remedium doloris ſui, nec conſueverat ei in talibus obſequi. Novum, & ultimum eſt obſequium, quod ei nunc præſtat, & in hoc ipſo præſtando amaricatur anima ſua, quia non poteſt illud facere, ut vellet, & deceret. Vellet enim totum corpus lavare, ungere, & benè aptare, ſed non eſt tempus, neque locus. Facit ergo, quod poteſt, ſaltem pedes lachrymis lavat. Tandem devotè abſtergit, amplexatur, & oſculatur, & involuit, & aptat fideliter, ut melius novit. Sic ergo aptato reliquo corpore, reſpiciunt Dominam, ut ipſa compleat, & omnes plorare incipiunt. Tunc Mater generoſa videns, quod differre non poteſt, ponit vultum ſuum ſuper faciem Filii, & Domini ſui, & dixit. Fili mi dilectiſſime in gremio te mortuum teneo. Jocunda, & delectabilis inter nos converſatio, & ſine quærela, & offenſa inter alios fuimus, quamvis tu innocens occiſus ſis. Fili, tibi ſervivi, & tu mihi. Sed in hac tua pugna doloroſa, nec Pater tibi auxiliari voluit, & tu te ipſum dereliquiſti, propter amorem generis humani, quod redimere voluiſti. Dura, & pœnoſa, & chara eſt tibi iſta redemptio, de qua tamen gaudeo propter ſalutem hominum. Sed in tuis vulneribus, & in tua morte vehementer affligor, & ſcio benè, quòd non peccaſti unquam, & ſine culpa occiſus es morte turpiſſima. Modo ergo Fili mi rupta eſt

no-

noſtra ſocietas, & me ſeparari à te oportet. Sepeliam igitur te ego mœſtiſſima Mater, ſed poſtea quo ibo? ubi morabor Fili mi? Quomodo ſine te vivere potero? Tecum ergo libentius ſepelior, & ubicunque tu eſſes, ego eſſem ſimiliter tecum. Sed ex quo non poſſum corpore, tamen ſepeliar mente. Animam meam in tumulo tuo ſepeliam cum corpore tuo; eam tibi commendo, tibi dimitto. O Fili mi, quomodo ſine anxietate ero? Et iterum ex abundantia lachrymarum lavat faciem Filii, ſicut Magdalena pedes. Abſterſit autem, & deoſculans os, & oculos ejus, in quodam ſudario ipſum caput involuit, & diligenter aptavit.

Quomodo Dominus ſepelitur. Cap. 81.

TAndem iterum benedixit, & ſignavit eum, & tunc omnes adorantes genibus flexis, & pedes ejus deoſculantes, accipiunt, & portant ad monumentum. Domina tenebat caput: Magdalena pedes. Reliqui verò ſtabant in medio, & ſepelierunt eum in ſepulchro reverenter flexis genibus, & cum fletibus magnis, & ſuſpiriis validis. Quo ſepulto, Mater iterum benedixit, & amplexatur eum, & ſtat ſuper dilecto Filio ſuo. Sed elevantes eam, poſuerunt magnum lapidem ad hoſtium monumenti. Joſeph autem volens redire in Civitatem, dicit Dominæ.

Do-

Domina mea, vos deprecor propter Deũ, & amorem Filii veſtri, & Magiſtri noſtri, ut divertatis in domũ meam. Scio enim, quòd domum propriam non habetis, utimini mea ſicut veſtra, quia omnia mea veſtra ſunt. Similiter & Nicodemus dicebat. O qualis compaſſio! Regina Mundi non habet ubi caput ſuum reclinet, verè vidua, & derelicta eſt, & quò divertat, non habet. Tunc ipſa inclinans ſe humiliter, & gratias agens, reſpondit ſe eſſe commiſſam Joanni. Quibus Joannes adhuc eum deinde rogantibus, reſpõdit, quòd volebat eam ducere in Montem Syon in domum, in qua Magiſter cœnaverat in ſero cum Diſcipulis, & ibidem cum ea ſtare volebat. Illi ergo ſe inclinantes, & adorantes Sepulchrum receſſerunt, & iſti (ut dicit Evangelium) remanſerunt ſedentes contra Sepulchrum.

Quomodo redeunt ad Montem Syon.
Cap. 82.

APpropinquante autem nocte, dicit Joannes. Hìc morari nimis, vel de nocte redire in Civitatem, non licet, & ideo ſi vobis placet, recedamus hinc. Tunc Domina ſurgens, genuflectit ad Sepulchrum, amplexatur, & benedixit Sepulchrum, & dicit. Fili mi, non poſſum amplius ſtare tecum. Ego commendo te Patri tuo. Et ſublevatis in Cœlum ocu-

 lis,

lis, dicit cum lachrymis, & affectu magno. Pater æterne, commendo vobis Filium meum, & animam meam, quam dimitto cum ipſo, & cœperunt recedere. Cum autem fuerunt ad Crucem, illic genuflectit Domina, & adoravit Crucem Domini, dicens. Hic requievit Filius meus, & hic eſt Sanguis ſuus pretioſus. Similiter & omnes genuflexerunt, & inde recedũt verſus Civitatem, & per viam ſe ſępe vertebant retro aſpicientes. Cum autem fuerunt in loco, à quo Sepulchrũ videre amplius non poterant, vertit ſe Domina, & inclinavit, genuflexit, & adoravit. Similiter omnes fecerunt cum lachrymis. Appropinquantes autem ad Civitatem ſorores Dominæ, velaverunt eam, tanquam viduam, cooperiẽtes quaſi totum vultum ejus, & præcedebant. Domina autem ſic velata inter Magdalenam, & Joannem ſequebatur eas. Tunc Magdalena volens in ingreſſu Civitatis ſumere viam, quę ducit ad domum ſuam, & illic eos ducere prævidit ſibi, & dixit. Domina, precor vos, ut amore Magiſtri mei eamus ad domum noſtram, & ibi melius ſtabimus. Scitis quomodo ipſe libenter veniebat ad eam, & ipſa veſtra eſt, & omnia mea veſtra ſunt, rogo ut veniatis: & hic plangere incipiunt. Domina verò tacente, & annuente verſus Joannem, adhuc illa rogat Joannem. Ipſe verò reſpondet. Decentius eſt, ut eamus ad mon-

rem

tem Syon, maximè quia ſic ſpopondimus illis amicis noſtris, ſed tu potiùs venias cum ea quocunque ierit, & nunquam dimittas eam. Intrantibus autem illis in Civitatem, occurrerunt undique Virgines, & Matronæ benè aſſociare eam, conſolantes eam per viam, & undique fit ploratus magnus. Sed & boni homines, apud quos tranſibant, compatiebantur eidem, & movebantur ad fletum, dicentes. Certè magna injuſtitia facta eſt per Principes noſtros hodie contra Filium iſtius Dominæ, & Dominus pro eo magna ſigna oſtēdit. Caveant, qui fecerunt. Cum autem venerunt ad domum, ipſa vertit ſe ad Dominas illas, & inclinavit ſe, gratias agens. Ipſæ verò inclinantes, & genuflectentes, omnes cœperunt facere planctum. Intravit ergo Domina domum. Magdalena, & ſorores Dominæ poſt eam. Joannes verò ponens ſe ſuper hoſtium, rogavit illas Dominas, ut redirent ad domos ſuas, quia hora erat tarda, & gratias agens eis, hoſtium clauſit. Tunc Domina per domum circunſpiciens, dicebat. Fili mi dilectiſſime, ubi es, quia hic te non video? O Joannes, ubi eſt Filius meus? O Magdalena, ubi eſt Magiſter tuus, qui ſic te diligebat? O dilectæ ſorores, ubi eſt nepos veſter? Receſſit à nobis gaudium noſtrum, & dulcedo, & lumen oculorum noſtrorum: receſſit autem cum multa pœna, & vos vidiſtis. Et hoc eſt, quod

mihi magis auget dolorem. Et receſſit totus afflictus, totus laceratus, totus anxius, & etiam ſitibundus, coactus, oppreſſus, & violentatus, nec ei in aliquo ſubvenire potuimus. Omnes dereliquerunt eum, & ipſe & Pater ejus noluit eum adjuvare. Et quàm citò hæc facta ſunt, vos vidiſtis. O Fili mi, quàm amara eſt iſta tua ſeparatio! in hac nocte captus fuiſti, in manum Præſidis traditus, & in hora tertia condemnatus, & jam mortuus es. O Fili, quàm amara eſt iſta ſeparatio, & memoria ignominioſæ tuæ mortis. Tandem Joannes rogans, quod deſiſteret, conſolatus eſt eam, & confortat, quia parumper comedat, & alios comedere faciat, quia adhuc jejuni ſunt.

Qualiter Petrus venit mane ſabbathi ad Dominam, humiliter petens veniam de ingratitudine ſua, & ſimiliter alii Apoſtoli. Cap. 83.

MAne autem facto, ſcilicet ſabbathi, ſtabant in domo januis clauſis Domina, & aliæ ſociæ unà cum Joanne afflicto, & doloroſo tanquam orfano, & pleno mœrore, non loquentes, ſed memorantes eſternæ tribulationis anguſtias, ſedebant ſimul aſpicientes ſe adinvicem, & tandem pulſatum fuit ad hoſtium, & timuerunt. Timebant enim omnes, quia ſecuritas eorum diſceſſerat. Ivit tamen Joan-

Joannes ad hoſtium, & aſpicientes, cognovit Petrum, & tunc dixit Joannes ad Dominam. Domina eſt Petrus. Dixit Domina: Aperias. Ingreditur Petrus verecundè cum ſingultibus magnis,& fletibus, & tunc omnes plorare cœperunt, nec verbum potuerunt loqui de Domino ſuo. Dixit ergo Petrus. Ego verecundor, & confundor in meipſo, nec deberem in veſtro aſpectu, vel hominum apparere, quia Dominum meum, qui me ſic diligebat, ſic dereliqui, & negavi. Similiter & alii cum percuſſione palmarum, & manuum lachrymis ſe redarguebant, quòd eum dereliquerant. Tunc dixit Domina. Magiſter bonus, & Paſtor fidelis receſſit à nobis, & nos remanſimus velut orfani, ſed ſpero, quòd citò nos habebimus eum, & vos ſcitis, quòd benignus eſt Filius meus. Benedictus ſit ipſe, qui multum vos diligebat, non dubitetis, quia benè reconciliabitur vobis, & libenter remittet omnem offenſam ſine culpa. Tantus fuit permiſſione Patris impetus contra eum: & ita prævaluit malorum audacia, quod non poſſetis eum ullatenus adjuvare etiam exiſtentes cum eo: & ideo nolite turbari. Reſpondit Petrus. Vere eſt ita, ut dicitis. Nam & ego, qui tantum confidebam, tanto fui terrore percuſſus in atrio Cayphæ, quod vix credebam poſſe evadere, & ideo eum negavi, nec memor fui verborum, quæ hic predi-

xerat mihi. Tunc Magdalena quærit, quid ei prædixerat; & reſpondit de negatione ſua, & narravit totum. Et addidit, quòd etiam alia plura prædixerat. Dicit Magdalena. Vellem audire de his, quæ dicta, & facta fuerunt in cœna per eum. Et Petrus annuit Joanni, ut ipſe referat. Joannes autem incœpit, & narravit omnia. Similiter & Petrus quærit de paſſione Domini, & Joannes narrat totum. Et ſic tam de his, quàm de aliis quæ fecerat Dominus Jeſus, narrant adinvicem, modo unus, modo alius: & ſic totam diem de ipſo ſermocinando percurrũt. O quàm attentè auſcultabat Magdalena, ſed attentius Domina! O quotiens ſic ipſa dicebat! Benedictus ſit Filius meus Jeſus. Quid enim eſt videre, quòd Domina Mundi, & Princeps Eccleſiarum, & omnium populorum, & Duces totius divini Exercitus ſic timoroſi, & afflicti ſtant recluſi in quadam domuncula, neſcientes quid facere deberent, niſi quòd ſe confortant, & conferunt de verbis Domini ſui? Domina tamen ſtabat mente tranquilla, & pacificata, quia certiſſimam ſpem habebat de Filii ſui reſurrectione, & in ipſa remanſit fides in ipſa die ſabbathi. Et propterea dies ſabbathi attribuitur ei. Non tamen ipſa Domina poterat gaudere propter memoriam mortis Filii ſui.

(❋) § (❋)

Quo-

Quomodo Magdalena, & altera Maria iverunt ut ungerent Jeſum; & quomodo deſcendit Dominus Jeſus ad Inferos, & quid ibi egit. Cap. 84.

SEro autem facto, poſt Solis occaſum, cum ipſa die nõ licuerit operari, Magdalena, & altera Maria iverunt emere aromata pro fiendis unguentis. Sero etiam præcedenti, cum redirent de Sepulchro, cœperunt parare, uſque ad Solis occaſum. Nunc ergo vadunt emere aromata, incedentes mœſtis vultibus, more viduarum, & orfanorum. Vide quomodo diligenter, fideliter, & devote laborant pro Domino ſuo cum lachrymis, & ſuſpiriis. Vide etiam hic, & conſidera, quomodo, & quid ipſe Dominus ipſa die fecerit. Nam ſtatim, cum mortuus fuit, deſcendit ad Inferos, ad ſanctos Patres, & ſtabat cum eis, & tunc fuerunt in gloria. Jubilaverunt autem ſancti Patres in ſuo adventu, & repleti ſunt jocunditate immenſa, omni diſplicentia, & miſeria procul pulſa, & ſtant in laudibus, & canticis coram eo. Antequam veniret ad eos, occurrerunt ei gaudenter ſe ipſos exhortantes, atque dicentes. Levate capita veſtra, quia ecce venit redemptio noſtra. Conſurge, conſurge Hieruſalem, ſolve vincula colli tui. Ecce Salvator venit ſolvere te à vinculis. Tollite portas Prin-

cipes veſtras, &c. Adoramus te Chriſte, &c. Et procidentes adoraverunt eum. Deinde ſurgentes, continuaverunt laudes ſuas, dicentes. Benedictus qui venit in nomine Domini Deus Dominus, & illuxit nobis. Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo altiſſime. Tui ſunt Cœli, & tua eſt Terra, &c. Tu es Deus noſter, Salvator noſter, abſque te non erat adjutor. Et tu Domine Deus virtutum, Deus Iſrael ad nos viſitandos intendiſti. Redemiſti animas tam duro carceri mancipatas. O ineſtimabilis dilectio charitatis! ut ſervum redimeres, animam tradidiſti. Sedentes in tenebris, & in umbra mortis adeò benigniſſime viſitaſti. Contriviſti portas aereas, & vectes ferreos confregiſti. Nox enim ſicut dies illuminata eſt ſplendore vultus tui. Suſcepimus Deus miſericordiam in medio tenebrarum. Exultate Deo, &c. Sumite pſalmum, &c. Hæc dies quam fecit Dominus, &c. Cantate Domino, pſalmum dicite nomini ejus, iter facite, &c. Qui eduxit vinctos, &c. Mirabilis Deus, &c. Nos autem adoramus eum in ſæcula, quoniam ipſe fecit nos, & redemit. Et omnes procidentes, adoraverunt eum. Tunc reſpondit Dominus, & dixit eis: Attendite populi mei vocem meam. Pax vobis. Ego enim ſum Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de terra Ægypti. Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus,

qui creavi, redemi, & ſalvavi vos, ut vos eruam. Ecce adſum. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem Patris mei, volui, & ad veſtram ſalutem deſcendi. Pauper fui, & in laboribus à juventute mea. Intendebam ad ſalvandas omnes gentes, ſed filii alieni mentiti ſunt, &c. Amici mei, & proximi mei adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt. Omnes videntes me, deriſerunt me, &c. Circundederunt me canes multi, &c. Et fui flagellatus, &c. Supra dorſum meum, &c. Foderunt manus meas, &c. Et dederunt in eſcam meam fel, &c. Conſiderabam ad dexteram meam, & videbam, &c. Ego dormivi, & ſepultus ſum, & adhuc caro mea requieſcet. Et dixit eis Jeſus multa alia. Protexiſti me à conventu malignantium, &c. Attende ergo Domine, miſerere mei, & reſuſcita me, & retribuam eis. Voluntariè ſacrificabo tibi Pater pro iſtis, & aliis ſperantibus in te. Benedictum ſit nomen majeſtatis tuæ in æternum, & replebitur, &c. Iterum autem illi de Limbo reſponderunt, dicentes. Domine, refugium factus es nobis, &c. Priuſquam montes fierent, &c. Niſi quia tu Domine adjuvaſti nos, ſemper in Inferno fuiſſet anima noſtra, ſed memor fuiſti noſtri Deus noſter. Redemiſti nos in ſanguine tuo. Tu enim Rex noſter ante ſæcula, operatus es ſalutem in medio terræ. Ignoſce ergo redem-

ptis, nomen tuum invocantibus. Non enim peccatorum vis mortem, ſed converſionem, & ſalutem. Et in hujuſmodi laudibus, & canticis, & jubilationibus ſteterunt in limbo, uſque prope auroram diei Dominicæ, in conſpectu etiam Angelorum ibi exiſtentium, & cum eis jubilantium. Tunc accepit eos Dominus, & adducens eos foras ab Inferis in exultatione, & eos glorioſè præcedens, poſuit in Paradiſo delitiarum. Aliqua verò morula facta cum eis jocundè, & cum Helia, & Enoch eum recognoſcentibus, dixit eis. Tempus eſt, ut reſuſcitem Corpus meum. Vadam, & reaſſumam illud. Qui omnes procidentes, adoraverunt eum, Ite Domine Rex Gloriæ, & citò redite, ſi placet, quia corpus veſtrum videre plurimum affectamus.

De reſurrectione Domini Jeſu, & quomodo apparuit Dominæ Matri ſuæ. Cap. 85.

VEnit Dominus Jeſus cum Angelorum multitudine ad monumentũ, die Dominico ſummo manè. Maria Magdalena, Maria Jacobi, & Salome, licentia prius petita à Domina, pariter cœperunt ire ad monumentum cum unguentis. Domina autem domi remanſit, & orabat, dicens. Pater clementiſſime, Pater piiſſime, ſicut ſcitis, mortuus eſt Filius meus, & inter duos latrones crucifi-

xus

xus fuit, & ego ſepelivi eum manibus meis. Sed poteſtis Domine reſtituere eum mihi incolumem. Rogo majeſtatem veſtram, ut mihi reddatis. Ubi eſt ipſe, quia tantum tardat ad me venire, & redire? Remitte obſecro eum mihi, quia non requieſcet anima mea, niſi videam ipſum. O Fili mi dulciſſime, quid eſt de te? Quid agis? Quam moram trahis? Rogo te ne amplius differas venire ad me. Tu enim dixiſti: Tertia die reſurgam. Nonne Fili mi eſt hodie tertia dies? Non heri, ſed poſt heri fuit illa dies magna, & amara valdè, dies calamitatis, & mœroris: tenebrarum, & caliginis, ſeparationis, & mortis. Nunc ergo Fili mi, eſt hodie tertia dies. Exurge igitur gloria mea, & omne bonum meum, & redi. Super omnia, deſidero te videre. Conſoletur me tuus reditus, quam ſic contriſtavit diſceſſus. Lætificet me tua præſentia, quam ſic contriſtavit abſentia. Reverte igitur, dilecte mi. Veni Domine Jeſu, veni ſpes unica, veni ad me Fili mi. Illa igitur ſic orante, dulciterque lachrymante, ecce ſubitò venit Dominus Jeſus veſtibus albiſſimis, vultu ſereno, Sponſus glorioſus, & gaudens, & dixit ei quaſi ex latere. Salve ſancta parens. Et illa ſtatim vertens ſe, es tu (inquit) Filius meus Jeſus, & genuflexit, adorans eum. Et ille ſimiliter genuflexit, dicens: Mater mea dulciſſima, Ego ſum. Reſur-

rexi, & adhuc ſum tecum. Illis autem ſurgentibus, ipſa cum lachrymis amplexatur eum, vultum vultui applicans. Poſtea ſedentibus illis, pariter diligenter, & curioſè intuebatur eundem in vultu, & in cicatricibus manuum, & per totum, quærens ſi omnis dolor ab eo diſceſſerat. Et ille. Reverenda Mater. Omnis dolor à me abſceſſit, & mortem, & dolorem, & omnes anguſtias ſuperavi, & de cœtero aliquid non ſentiam. Et illa. Benedictus ſit Pater tuus, qui te mihi reddidit. Exaltatum, & laudatum ſit nomen ejus, & magnificatum in ſæcula. Stant ergo, & colloquuntur adinvicem gaudentes, & paſcha ducunt delectabiliter, & amanter. Et narrat ei Dominus Jeſus, qualiter populum ſuum liberavit de Inferno, & omnia, quæ fecit in illo triduo.

Quomodo Mariæ iverunt ad Sepulchrum, & quomodo Petrus, & Joannes cucurrerunt ad Sepulchrum. Cap. 86.

MAgdalena verò, & aliæ duę Mariæ ibant (ut dixi) ad monumentum cum unguentis, & revocabant ad memoriam, dum fuerunt extra portam Civitatis, afflictiones, & pœnas Magiſtri ſui, & in omnibus locis, in quibus notabiliter contra ipſum facta fuerunt, aliquantulum ſubſiſtebant genuflectentes, & oſculantes

lantes terram, gemitus, atque ſuſpiria dantes, atque dicentes. Hic obviavimus Magiſtro noſtro Crucem ſuper collo portanti, quando Mater ejus ſemimortua facta eſt, & hìc ſe vertit ad mulieres. Hic Crucem depoſuit fatigatus, & ſuper iſtis lapidibus ſe appodiavit parumper. Hic fuit, ubi ſic eum crudeliter impellebant, ut velocius ambularet, & quaſi eum currere coegerunt. Hic expoliaverunt eum nudum, & Crucis patibulo affixerunt. Tunc cum magno clamore, & inundatione lachrymarum, procidentes in facies ſuas, adoraverunt, & oſculatæ ſunt Crucem adhuc pretioſo Sanguine Domini aſperſam. Deinde ſurgentes, & euntes verſus Sepulchrum, dicebant. Quis revoluet nobis lapidem ab hoſtio monumenti? Et aſpicientes viderunt revolutum lapidem, & Angelum Domini ſedẽtem ſuper eum, qui dixit eis. Nolite timere, &c. quæ in Evangelio continentur. Illæ verò fraudatæ ſpe ſua, quia putabant Corpus Domini invenire, non attendentes verbo Angeli, redierunt ad Diſcipulos, dicentes Corpus Domini eſſe ſublatum. Tunc Petrus, & Joannes cucurrerunt. Currunt ipſi, currit Magdalena, & aliæ ſociæ poſt eos. Omnes currunt ad quærendum Dominum ſuum. Currunt multum fideliter, multumque ferventer. Cum autem pervenerunt ad monumentum, reſpicientes & ipſi non

Invenerunt Corpus Chriſti. Viderunt lintheamina,& ſudarium,& receſſerunt. Quærunt Dominum ſuum, & non invenerunt, neſciunt, ubi amplius eum quærere debeant. Igitur dolentes, & flentes receſſerunt. Mariæ verò remanſerunt ibidem, & reſpicientes in monumentum, viderunt duos Angelos in albis, qui dicunt eis. Quem quæritis? viventem cum mortuis? Illæ autem non attenderunt ad eorum verba, nec aliquam conſolationem receperunt de viſione Angelica, quia non quærebant Angelos, ſed Dominum Angelorum. Immo illæ duæ Mariæ conterritæ, & quaſi abſortæ elongaverunt ſe inde aliquantulum, & ſedebant dolentes. Magdalena verò neſciens quid aliud facere debeat, quia ſine Magiſtro ſuo vivere non poterat, & ibi eum non inveniebat, & ubi eum quæreret ignorabat; ſtabat ad monumentum foras plorans. Iterum ergo reſpiciens in monumentum, quia ſemper ſperabat eum revidere, ubi eum ſepelierant: vidit ipſos Angelos ſedentes, qui dicunt ei. Mulier quid ploras? Quem quæris? Et illa. Tulerunt Dominum meum,& neſcio ubi poſuerunt eum. Vide mirabilem operationem amoris. Paulò antè audierat ab Angelo, quòd ſurrexerat, & poſtea à duabus, quòd vivebat, & non recordabatur, & dicit, neſcio. Amor hoc faciebat. Quia (ut dicit Origenes) anima ſua non erat,

ubi

ubi ipſa erat: ſed ibi erat, ubi Magiſter ſuus erat. Neſciebat cogitare, loqui, vel audire, niſi de ipſo. Cum autem iſta ſic ploraret, & de Angelis nihil curaret, amor, & Magiſter ſuus non potuit amplius ſe tenere. Dominus Jeſus refert hoc Matri ſuæ, & dicit, quòd vult ire ad conſolandum Magdalenam, quæ hoc multum affectat. Et dicit Mater. Fili mi benedicte. Vade in pace, & conſolare eam, quia multum te diligit, & de tua morte plurimum doluit; & memento redire ad me.

Quomodo Dominus apparuit Mariæ Magdalenæ. Cap. 87.

VEnit igitur ad monumentum in hortum, ubi erat Magdalena, & dixit ei. Mulier quid ploras? Quem quæris? Et illa eum non cognoſcens adhuc, ut ebria reſpondit, dicens. Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam. Semper enim ſperabat audire aliqua nova de dilecto ſuo. Tunc Dominus ad eam dixit. Maria. Ipſa verò quaſi reviviſcens, & cognoſcens eum ad vocem, cum indicibili gaudio dixit. Rabbi, ideſt Magiſter. Domine, vos eſtis, quem quærebam. Quare vos tandiu cœlaſtis? Et currens ad pedes ejus, oſculari volebat. Dominus verò volens animum ſuum elevare ad cœleſtia,

ut non quærat amodo in terra, dixit. Noli me tangere. Nondum enim aſcendi ad Patrem meum. Et addidit. Nonne prædixeram tibi, quòd tertia die reſurgerem? Quomodo ergo in ſepulchro me quærebas? Et illa. Dico vobis Magiſter, quia tantus dolor de acerbitate paſſionis veſtræ cor meum repleverat, quòd omnium oblita, de nihilo recordabat, niſi de corpore veſtro mortuo, & de loco, ubi ſepelieram illud, & ideo unguenta hoc mane detuleram. Benedicta ſit magnificentia veſtra, quæ reſurgere, & venire ad nos dignata eſt. Stant ergo ſimul dilecti cum jocunditate, & gaudio maximo. Ipſa verò curioſè aſpicit eum, & interrogat de ſingulis, reſponſum alacriter recepit. Poſt aliquantulam morulam, recedit Dominus, dicens: quia & alios oportet eum viſitare: Tunc Magdalena quaſi alterata, ſicut nunquam volens ab eo diſcedere, dixit ei. Domine, ut video, veſtra converſatio non erit amodo nobiſcum, ſicut conſueverat: rogo vos, ut non obliviſcamini mei. Mementote Domine tot beneficiorum, quæ mihi contuliſtis, & familiaritatis, & dilectionis, quam habuiſtis ad me, & recordamini mei Domine Deus ſalutis meæ. Et Dominus ad eam. Noli timere, confide, & conſtans eſto, quia ſemper tecum ero. Tunc ipſe benedictione eidem data, diſceſſit, & venit ad ſocias. Illæ verò de reſurrectione Domini gaudẽtes, ſed quòd

non viderant eum , dolentes redeunt cum ea.

Quomodo Dominus Jeſus apparuit mulieribus ſociabus Magdalenæ. Cap. 88.

CUm ergo iſtæ tres Mariæ manè ſimul pergerent, antequàm venirent ad Civitatem, apparuit ei Dominus, dicens. Salvete. Illæ verò ultra quam dici poteſt ex hilaritate procidentes, tenuerunt pedes ejus. Hìc igitur ſimiliter quęrunt, & aſpiciunt, reſponſum jocunditatis accipiunt, & faciunt magnum paſcha. Dicit autem eis Dominus Jeſus. Dicite fratribus meis, quòd vadant in Galilęam. Ibi me videbunt ſicut prædixi eis. Vide, quòd Magiſter humilitatis vocat Diſcipulos fratres, nunquam hanc virtutem dimiſit.

Quomodo apparuit Joſeph. Cap. 89.

DIſcedens igitur Dominus Jeſus ab eis, apparuit Joſeph, qui eum ſepelierat. Captus enim erat, propterea à Judæis, & recluſus in quodam cubiculo diligenter ſigillato, & poſt ſabbathum, eum interficere volebant. Apparuit ergo ei Dominus Jeſus, & faciem ejus abſterſit, & oſculum dedit ei. Et indè ſolutis ſigillis, in propriam domum reduxit.

Quo-

Quomodo apparuit Jacobo minori. Cap. 90.

APparuit etiam Dominus Jeſus Jacobo minori, qui voverat ſe non comeſturum, niſi videret Dominum reſuſcitatum. Dixit ergo his, qui cũ eo erant. Ponite menſam. Deinde panem accipiens, benedixit, & dedit ei, dicens. Comede dilecte frater, quia Filius hominis reſurrexit à mortuis.

Quomodo apparuit Petro, eum cum dolore perquirenti. Cap. 91.

CUm autem Magdalena, & ſociẹ ejus redeuntes domum, narraſſent Diſcipulis, reſurrexiſſe Dominum, & Petrus, qui ſuum Dominum non viderat, non valens quieſcere propter amoris vehementiam diſceſſit ab eis, & ſolus ibat verſus ſepulchrum. Neſciebat enim, ubi alibi eum quæreret. Dum ergo pergeret, Dominus Jeſus eidem apparuit, dicens. Pax tibi Symon. Tunc Petrus percutiens pectus ſuum, & procidens in terra cum lachrymis, dixit. Domine, dico meam culpam, quia dereliqui te, & pluries negavi, & deoſculatus eſt pedes ejus. Dominus autem erigens ipſum, oſculatus eſt eum, dicens. Pax tibi, noli timere, omnia peccata ſunt tibi demiſſa. Ego benè ſciebam, & prædixi tibi. Nunc verò vade,

de, & confirma fratres tuos, & confide, quia mortem, & omnes adverſarios meos vici. Stant ergo adinvicem colloquentes, Petrus diligenter aſpicit illum, & ſingula notat. Benedictione verò accepta, rediens ad Dominam, & Diſcipulos, omnia narrat. Scire autem debes, quòd de apparitione Dominæ nihil in Evangelio continetur.

Quomodo Dominus Jeſus ivit ad Paradiſum delitiarum viſitare ſanctos Patres.
Cap. 92.

Dominus autem Jeſus nondum viſitaverat ſanctos Patres poſt reſurrectionem ſui Corporis, quos in Paradiſo dimiſerat. Rediit ergo ad eos, procedens in ſtola candida, cum multitudine Angelorum, quem ipſi in tanta gloria conſpicientes à longe cum indicibili exultatione, & gaudio, cum canticis, & laudibus ſuſceperunt, dicentes. Ecce Rex noſter venit, occurramus Salvatori noſtro. Magnum principium, & Regni ejus non erit finis. Dies ſanctificatus illuxit nobis; venite omnes, & adoremus Dominum; & procidentes in terram, adoraverunt eum, & ſurgentes, & ſtantes coram eo reverenter, & jocundè, compleverunt laudes ſuas, dicentes. Vicit Leo de tribu Juda. Refloruit Domine caro tua. Adimples nos lætitia cum vultu tuo, &c.

Re-

Reſurrexiſti gloria noſtra. Exultabimus, & delectabimur in te, Regnum tuum, Regnum omnium ſæculorum, &c. Et nos non diſcedimus à te. Reſuſcitabis nos, & nomen tuum exaltabimus, præcurſorque nobis ingreſſus eſt, Pontifex factus in æternum. Hæc dies, quam fecit Dominus, &c. Salvavit ſibi dextera ejus, &c. Cantate Domino, &c. Nos autem populus ejus, & oves paſcuæ ejus, venite adoremus eum. Appropinquante verò hora veſpertina, dixit eis Dominus Jeſus. Compatior fratribus meis, quia propter meam abſentiam contriſtati ſunt valdè de morte mea, & conterriti. Diſperſi ſunt ſicut oves errantes, non habentes Paſtorem, & multum deſiderant me videre. Vadam ergo, & oſtendam me ipſis. Confortabo, & conſolabor eos, & citò revertar ad vos. At illi procidentes adoraverunt eum, dicentes. Sic fiat Domine, ut dixiſtis.

Quomodo Dominus junxit ſe duobus ex Diſcipulis ſuis in modum peregrini. Cap. 93.

DUm ergo duo ex Diſcipulis ejus irent verſus Caſtellũ Emaus, quaſi deſperati de Domino ſuo, & irent triſtes de hiis, quæ acciderant conferendo, venit Dominus Jeſus, & junxit ſe eis in ſpecie peregrini, & ibat cum illis, interrogans

gans eos, ſicut in Evangelio continetur. Tandem coactus ab eis, intravit cum illis, & manifeſtavit ſe ipſis. O anima peccatrix, hic diligenter attende, & conſidera multiplicem bonitatem, & benignitatem Domini tui. Primo, quia non potuit ſuus fervens amor permittere ſuos ſic errare, & triſtari. Verè, ut fidus amicus, eſt fidelis comes, & benignus Dominus. Junxit ſe ipſis, & quærit triſtitiæ cauſam, & exponit eis Scripturas, inflammans corda eorum, ad omnem rubiginem extirpandam. Sic quotidiè nobiſcum facit ſpiritualiter. Si enim aliquando gravati perplexitate, vel accidia, de ipſo loquamur, ſtatim adeſt confortans, & illuminans corda noſtra, & etiam inflammans in amorem ſui. Optimum enim remedium eſt contra tales loqui de eo, ut docet Propheta. Quam dulcia faucibus meis, &c. Et iterum. Ignitum eloquium tuum vehementer. Similiter, & cogitare de Deo. Unde idem Propheta dicit. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis, &c. Secundo, conſidera bonitatem eius, non ſolum ex amore, ut dixi, ſed etiam ex humilitate profunda. Conſpice namque ipſum, quomodo humiliter vadit cum eis. Vadit enim cum eis, velut unus ex eis Dominus omnium. Nonne tibi videtur primordia humilitatis reddidiſſe. Exemplum enim eſt nobis ſimile faciendi.

di. Sed & magis attende Domini humilitatem, quia non eſt dedignatus hos Diſcipulos inferioris gradus. Non enim erant de Apoſtolis, ſed de aliis minoribus Diſcipulis, & tamen familiariter junxit ſe illis. Vadit, & loquitur non ſicut elati. Item in alio relucet hic ſumma humilitas. Nam ſuperbus verba ſua ſpargere dedignatur. Dominus autem non dedignatur etiam uni, ut fecit cum Samaritana. Tertio, conſidera Domini bonitatem, quantum ad præſens negotium, quomodo inſtruxit Diſcipulos ſuos, & in anguſtiis reficit, & conſolatur. Conſpice ergo anima Chriſtiana Dominum tuum, quomodo fingit ſe longius ire, ut eorum augeat deſiderium, & teneatur, aut invitetur ab eis, & quomodo poſtea intrat cū eis benignè. Panem accepit, & benedicens manibus ſuis ſacratiſſimis, frangit, & porrigit, & ſe eis revelat. Et hoc quotidiè facit nobiſcum inviſibiliter. Nam teneri vult, & viſitari per deſideria, & orationes, & ſanctas meditationes. Et ideo orare ſemper oportet, & non deficere, ut ipſe docuit. Qualiter autem iſta facit ad noſtram eruditionem, ut intendamus in opera pietatis, & hoſpitalitatis, & quomodo non ſufficit divina eloquia legere, vel laudare, niſi opere compleantur. Nō autem dedit iſtis magnam ſui copiam, ſed ſtatim porrecto eis pane, evanuit ab oculis eorum. Nam etiam

alios

alios conſolari volebat, cum quibus tamen etiam iſtos eſt conſolatus.

Quomodo Dominus Jeſus intravit ad Diſcipulos januis clauſis abſente Thoma.
Cap. 94.

REdierunt autem prædicti duo Diſcipuli ſtatim in Hieruſalem, & invenientes alios Diſcipulos congregatos, & abſente Thoma, eis iſta narraverunt, & pariter audierunt, quia ſurrexit Dominus, & apparuit Symoni. Tunc Dominus Jeſus intrans ad eos januis clauſis, ſtetit in medio eorum, & dixit. Pax vobis. Diſcipuli verò procidentes in terram, & ſuam culpam dicentes, quòd ſic eum reliquerunt, ipſum alacriter ſuſceperunt. Dominus autem, ſurgite (inquit) fratres mei, quia omnia peccata dimiſſa ſunt vobis. Stat igitur familiariter inter eos. Oſtendit eis manus, & latus, aperuit ſenſum, ut intelligant, & cognoſcant reſurrectionem ſuam. Petit ab eis, ſi habent aliquid ad manducandum, & dant ei partem piſcis aſſi, & favum melis, & manducat coram eis. Inſufflavit in eos, & dat eis Spiritum Sanctum. Videas quomodo iſta ſunt plena omni jocunditate, & lætitia. Gaviſi ſunt ergo Diſcipuli viſo Domino. Lætantur cum eo, qui primò erant ſtupefacti. O quàm libenter illa porrexerunt, ut comederet!

Quam

Quam fideliter ei miniſtrabant, & quàm jocundè aſſiſtebant eidem. Conſpice benè anima Chriſtiana etiam Dominam ibidem eſſe, quia Diſcipuli congregabantur ad eam. Vide ergo illam cum indicibili gaudio iſta reſpicere, & juxtà Filium ſuum familiariter ſedere, & (ſi quid expedit) ſervire alacriter. Dominus autem Jeſus libenter ſuſcipit omne ſervitium de manibus ejus, & ipſam reverenter honorat coram Diſcipulis ſuis. Non autem amittas à tua conſpectione Magdalenam dilectam diſcipulam. Conſpice, qualiter more ſolito, ſedet ad pedes Magiſtri ſui, & diligenter audit verba ſua. O qualis eſt domuncula iſta, & quàm glorioſum habitare in ea! Nonne tibi videtur, & hic nunc eſſe magnum paſcha. Sed parum ſtetit Dominus cum eis, quia erat jam quaſi ſero. Erat autem indutus veſtibus albiſſimis, veſtimentis glorioſę reſurrectionis, & novitatis Solis orientalis. O quàm ſuave, & dulce videre. Tandem Dominus reverentia Matri exhibita, ſimiliter & accepta ab ea, benedicens omnes, receſſit ab eis. Ipſi verò procidentes de cita reverſione rogaverunt eundem. Manſerunt autem famelici, & ſitibundi de Domino ſuo, de quo tantam copiam habere conſueverant, eum ſemper ſuſpiriis, & deſideriis revocantes. Nam iſtæ apparitiones in die Paſchæ fuerunt. Credo enim, quod ſi paſſiones pati ſcires, &

men-

mentem haberes intentam, & non ſparſam ad ſæcularia, vel ſuperflua, vel curioſa, in qualibet vice haberes paſcha, & qualibet die Dominica tibi contingere poſſet, ſi mente integra diebus veneris, & ſabbathi tę cum paſſione Domini prępares, dicente Apoſtolo. Si fuerimus ſocii paſſionum, erimus & conſolationum.

Quomodo Dominus Jeſus rediit ad ſanctos Patres. Cap. 95.

TUnc verò Dominus Jeſus rediit ad ſanctos Patres, qui coram eo non otiosè, ſed jocundantes laudibus inſiſtebant. Quid dicerent ipſe novit. Tu autem imaginando eos cum corporibus, potes cogitare quòd recolentes beneficia Dei, gratias agebant per ſingulas generationes. Primo offerentes ſe velle laudare Deum, tanquam dignum omni laude. Secundo recognoſcendo eum ſuũ Deum. Tertio, numerando ipſa beneficia. Quarto, hortando omnes ad laudandũ. Quinto, ipſum adorando. In quibus omnibus diligenter conſpice, & reverenter attende, quia valdè devota ſunt, & utilia, non ſolum ad præſentes meditationes, ſed etiam ad laudem, & cantica, quæ ſibi in prima maximè exhibentur. Incipiens igitur Adam pro ſe, & ſua generatione, ſtans coram Domino alacriter gratias agebat, & ſic omnes alii per ordinem.

Quomodo iterum apparuit Diſcipulis præſente Thoma. Cap. 96.

ADveniente autem die octava reſurrectionis, iterum apparuit Dominus Jeſus Diſcipulis ſuis, januis clauſis, & erat Thomas cum eis, qui primò non fuerat. Et cum alii narraſſent, quòd viderant Dominum, reſpondit. Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, nō credam, ut in Evangelio continetur. Dixit ergo eis Paſtor bonus, & de puſillo grege ſuo ſolicitus. Pax vobis. Deinde dicit Thomæ. Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Tunc Thomas procidens, tetigit Dominum, & dixit. Dominus meus, & Deus meus. Hominem enim vidit, & Deum credidit, & dixit etiam culpam ſuam de eo, quòd ipſe dereliquerat eum, ſicut & alii dixerunt. Dominus autem eum erigens, dixit. Noli timere, omnia peccata ſunt tibi dimiſſa. Hoc autem de dubitatione Thomæ diſpenſatoriè permiſſum eſt, ut evidentioribus argumentis reſurrectio Domini probaretur. Conſpice autem eum hìc diligenter, & conſidera ſolitam benignitatem, humilitatem, & amorem ferventem ipſius, quomodo monſtrat Thomæ, & aliis Diſcipulis ſuis vulnera ſua, ut tolleret

omnem

omnem obſcuritatem de cordibus ipſorũ, ad noſtram utilitatem. Reſervavit quoque ſibi Dominus cicatrices vulnerum, maximè propter tria, ſcilicet ut fidem faceret Apoſtolis de ſua reſurrectione, & ut ipſas oſtendat Patri, quando vult placare eum pro nobis. Eſt enim noſter advocatus. Et etiam ut eas monſtret reprobis in die judicii. Stat igitur Dominus Jeſus cũ Matre, & Diſcipulis ſuis per aliquam moram, loquens de Regno Dei. Et ipſi cum eo cum magna lętitia audientes verba illa excelſa, & aſpicientes faciem ejus plenam gaudio, & decore. Attende ergo benè eos circunſtantes, ſed Domina familiariter juxtà eum ſedet. Magdalena verò ſemper ad pedes ejus. Conſidera, & ſta tù etiam reverenter, & verecundè, ſed gaudenter, à longè tamen, ſi fortè miſericordia motus faciat te vocari. Tandem dicit, quòd vadant in Galilæam, & ibi apparebit eis. Ipſi verò remanſerunt, ut primò famelici, & ſitibundi de ipſo, ſed plurimum confortati.

Quomodo iterum apparuit Diſcipulis in Galilæa, & quid eis impoſuit. Cap. 97.

POſt hæc Diſcipulis ad dictum locum pergentibus, iterum apparuit eis Dominus Jeſus, dicens. Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in Terra. Ite docentes omnes gentes, baptizantes eos in no-

mine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Docentes eos, ſervare quęcunque mandavi vobis, & confortamini. Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad cōſummationem ſæculi. Adoraverunt autem eum, & ſtant etiam nunc cum magna jocunditate cum eo. Conſidera benè eos, & ea, quæ modo dicta ſunt eis. Nam magnifica ſunt valdè. Manifeſtat enim eis Dominus, qualiter eſt Deus omnium. Dat eis mandatum in prædicando, dat formam baptizandi, & vigorem per maximum tempus, dum dicit, quòd ſemper erit cum eis. Vides quantam jocunditatem dat eis, & oſtendit inſignia charitatis. His ergo dictis, per Dominum data eſt eis benedictio, & diſparuit ab eis.

Quomodo Dominus Jeſus apparuit Diſcipulis piſcantibus, & iterum rediit ad ſanctos Patres. Cap. 98.

DIſcipuli verò adhuc remanſerunt in Galilæa. Iverunt autem quadam vice piſcatum, ad mare Tyberiadis, ſeptem ex ipſis, & per totam noctem nihil cœperunt. Mane autem facto, iterum apparuit eis Dominus Jeſus, & ſtetit in littore Maris. Attende autem, quæ hìc facta ſunt, quia etiam jocundiſſima ſunt. Quærens autem Dominus, ſi aliquid cœpiſſent, eis non reſpondentibus, dixit. Mittite in dexteram navigii rethe, & invenie-

venietis. Miſerunt ergo, & multitudinem magnam ceperunt. Dixit itaque Joannes Petro. Dominus eſt. Tunc Petrus nudus exiſtens, ſuccinxit ſe tunica, & feſtinus venit per Mare. Alii verò navigio venerunt. Et cum deſcendiſſent, viderunt piſces ſuper prunas, & panem paratum. Dóminus enim hæc eis paraverat. Fecit enim de piſcibus eorum aſſari, & ſimul cum eis comedens, fecit convivium, & feſtum magnum in littore Maris, & conſueto more humilitatis ſuæ miniſtravit eis. Stant igitur reverenter, multumque alacriter iſti ſeptem Diſcipuli cum Domino ſuo pariter cum eo comedentes. Aſpiciunt ejus faciem deſiderabilem, & jocundam, & exultant in cordibus ſuis. Accipiunt de ſacratiſſimis manibus ſuis eſcas delectabiles, & non minus reficiuntur ſpiritualitèr, quàm corporaliter. O quale convivium eſt illud! Conſpice benè per ſingula, & (ſi potes) piſcare cum eis. Attende nihilominus, quæ ſubſequuntur, quæ ſunt pulcherrima, & utilia. Nam completo iſto ſolemni convivio, dixit Dominus Petro. Diligis me plus his? Et Petrus. Domine tù ſcis, quia amo te. Dicit ei Dominus. Paſce Agnos meos. Et tribus vicibus ſic interrogans, commendavit ei gregem ſuum. Item benignitatem, & charitatem ſolicitam conſidera. Apertè enim vides, quomodo diligenter, & affectuosè

imprimit, reiterat, & commendat Petro animas noſtras. Iterum autem Dominus prædixit mortem ipſius Petri, dicens. Cum eras junior, cingebas te, &c. Significans, quòd paſſione clarificaturus eſſet eum. Et cum de Joanne Petrus quæreret, hic autem quid? Dominus reſpondit. Sic eum volo manere, donec veniam: quaſi diceret, nolo quòd per viam paſſionis me ſequatur: ſed in domo, & in contemplatione requieſcat, quamvis alii Diſcipuli intelligerent, quòd non moreretur. Sed non erat hoc magnum donum, cum melius ſit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Audis quàm magna dicta ſunt in iſta apparitione. Poſt hæc diſparuit Dominus ab eis, & more ſolito rediit ad ſanctos Patres. Diſcipuli verò cum magno gaudio remanſerunt, & poſtea redierunt in Hieruſalem. Dignè namque, poſt tot annorum curricula, poſt tot labores, & afflictiones, poſt tam crudelem, & acerbam mortem, poterat triumphator ad ſuam gloriam remeare, & per ſuos Angelos cõfirmare, & confortare Apoſtolos, ſed hoc non patiebatur charitas. Perſonaliter voluit converſari cum eis per dies quadraginta in multis argumentis, & loquens de Regno Dei, pro eis facit hoc, & pro nobis. Sed advertimus. Dilexit, & diligit ſic vehementer, & non diligitur, cum ad talem, ac tantum ignem non ſolum calefieri, ſed ardere debemus.

De

De Aſcenſione Domini. Cap. 99.

CIrca dominicam Aſcenſionem, te vigilem eſſe oportet, ut ſi unquam toto mentis conatu, te pręſentem exhibuiſti verbis, & factis ejus, nunc facias multo magis. Nam hæc ſolemnitas omnes alias ſuperat, ut clariùs tibi oſtendam infrà. Quælibet anima fidelis debet ſponſum ſuum in ejus diſceſſu, diligentiſſimè, & vigilanter obſervare, & ipſi ſe devotiùs, & humiliùs commendare, & totaliter præ aliis adhærere. Quadrageſimo itaque die à reſurrectione, ſciens Dominus Jeſus, quòd venit ejus hora, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, nunc verò in fine dilexit eos. Accipiens igitur de Paradiſo terreſtri sãctos Patres, & omnes illas Animas ſanctas, & benedicens Helyæ, & Enoch, ibi remanentibus adhuc viventibus, venit ad Diſcipulos ſuos, qui erant in cœnaculo in monte Syon, cum Matre ipſius Salvatoris, & apparens eis, voluit ante ejus diſceſſum, prandere cum eis, in ſignum memorialis dilectionis, & gaudii. Omnibus igitur comedentibus ſimul cum lætitia magna in hoc magno convivio Domini ſui, dixit eis Jeſus. Tempus eſt, ut revertar ad eum, qui miſit me. Vos autem manete hìc in Civitate, quouſque induamini virtute ex alto, quia infrà paucos

dies replebimini Spiritu Sancto, proùt promiſi vobis. Poſtea ibitis per univerſum Mundum prędicantem Evangelium meum, baptizando credentes,& eritis veri teſtes uſque ad ultimum terrę. Exprobravit etiam incredulitatem eorum,quia his, qui viderant eum reſurrexiſſe à mortuis, & Angelis ſuis, non crediderant. Hoc maximè nunc facit, quod prædicando dicebat, quaſi daret eis intelligere. Multò magis debebatis Angelis credere, etiam antequàm me videretis, quàm gentes, quæ credent vobis prędicantibus, & me non videbunt. Fecit hoc,ut cognoſcentes defectum ſuum, remanerent humiliores, oſtendens eis in ſuo diſceſſu, quantum ei placeat humilitas, quaſi eam ſpecialiter commendaret eiſdem. Stant igitur, comedunt, loquuntur, & gaudent propter præſentiam Domini ſui; ſed nihilominus turbati propter diſceſſum. Tanta amoris teneritudine diligebant eum, quòd hæc verba ſui diſceſſus non poterant æquo animo ſuſtinere. Quid autem dicam de Matre juxtà eum prandente, quæ eum ſuper omnes ſic intensè amabat? An non credis, quod per hæc verba diſceſſus ſui Filii maternali dilectione tacta, commota ſint viſcera ejus? Et credibile eſt, quòd reclinavit caput ſuum ſuper Filium ſuum, cum ineſtimabili dulcedine,& quod recubuit ſupra pectus ejus. Nam ſi hoc Joannes fecit in cę-

na, multò magis meditari poteſt de ipſa. Unde ſuſpirans cũ lachrymis, rogat eum dicens. Fili mi, ſi diſcedere vis, ducas me tecum. Dominus autem conſolans eam, dixit. Rogo Mater chariſſima, ne feras moleſtè diſceſſum meum, quia vado ad Patrem. Te autem remanere hic expedit ad tempus, pro confirmando credentes. Poſtea veniam pro te, & aſſumam te ad gloriam meam. Ad quem Mater. Fili mi dulciſſime. Fiat voluntas tua. Nam ego non ſolum remanere, ſed & mori parata ſum, pro quibus tù mortuus fuiſti, ſed eſto memor mei. Dominus autem, & Diſcipulos, & Magdalenam, & alias conſolabatur, dicens. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet, non relinquam vos orfanos. Vado, & venio ad vos, & ſemper ero vobiſcum. Tandem dixit eis, quòd exeant in montem Oliveti, quia inde volebat aſcendere, & tunc diſparuit ab eis. Mater igitur, & omnes alii ſine mora iverunt ad dictum Montem, qui eſt prope Hieruſalem, & ibidem apparuit eis Dominus. Ecce quomodo habent hodie duas apparitiones. Tunc amplexatus eſt Matrem, & Mater eum tenerrimè. Diſcipuli autem, & Magdalena, & omnes alii procidentes, & lachrymantes deoſculati ſunt pedes ejus. Ipſe verò ſuos Apoſtolos erigens benignè conſolatus eſt. Conſpice nunc eos benè, & omnia, quę fiunt, conſidera. Nihilominus ſanctos Patres ibi-

dem exiſtentes, ſed tamen inviſibiliter, quomodo libenter intuentur Dominam, & reverenter, & affectuosè benedicunt, per quam tantum beneficium conſequuti ſunt. Quomodo etiam intuentur illos excelſos pugilles, & duces Divini Exercitus, quos inter omnes elegit Dominus ad pugnandum, & vincendum univerſum Mundum. Tandem cunctis expletis myſteriis, cœpit Dominus Jeſus elevari ab eis, & aſcendere virtute ſua. Tunc Mater, & omnes alii procidunt in terra, & dicebat Mater. Fili mi benedicte, memor eſto mei. Et Diſcipuli non poterant ſe à lachrymis continere. Gaudebat tamen Mater multum, quia Filium ſuum glorioſum cernebat. Similiter & Diſcipuli dicebant. Domine pro te dimiſimus omnia; eſto memor noſtri. Ipſe verò elevatis manibus, facie ſerenus, & gaudens; Regno coronatus, & ornatus triumphabiliter ferebatur in Cœlum, & benedixit eis dicens. Conſtantes eſtote, viriliter agite, & ſemper vobiſcum ero. Aſcendebat autem ſecum, ducens illam multitudinem nobilem iter pandens ante eos, ut dixerat Micheas Propheta. Dominus itaque glorioſus, candidus, & rubicundus, ſplendens, & glorioſus præcedebat eos, viam eis oſtendens, & ipſi cantantes, & jubilantes lætiſſimi ſequebantur eum, dicentes. Cantemus Domino, &c. Benedictus es Domine Deus noſter, qui ſal-

vos

vos facis ſperantes in te. Deducens Populum tuum in exultatione, & Electos, &c. Exaltare ſuper Cœlos Deus, &c. Aſcendis in altum, proſperum iter faciens nobis, perducens nos in refrigerium. Et ducis vinctos tuos in fortitudine, deſiderium noſtrum tribuens nobis. Gloria, laus, & honor, &c.

De lætitia Curiæ Cœleſtis de Aſcenſione Domini. Cap. 100.

INterim autem Michael præpoſitus Paradiſi pergens ad patriam Cęlicam nunciavit, quòd Dominus aſcendebat. Ecce omnes beatorum Spirituum ordines ſeriatim per acies ſuas occurrerunt eidem. Unus ex eis non remanſit, quin veniret obviam Domino ſuo. Et inclinantes ſe, cum omni reverentia deducebant eum cum hymnis, & canticis ſpiritalibus, ineffabilibus. Quis enim poſſet cantus, & jubilos, qui ab ipſis fiebant, explicare? Adveniunt autem conjuncti pſallentibus, & dicentes. Alleluja, alleluja, alleluja. Nomine qui in Domini Rex benedicte venis. Nunc tibi Regnanti pangimus ecce melos. Alleluja, alleluja, alleluja. Benedictus es, qui ambulas, &c. Benedictus es Domine, qui ſedes ſuper Cherubim, & intueris abyſſos. Alleluja, alleluja. Dignus es Domine omni laude, & honore, quia ſic victoriam feciſti,

ſti, alleluja. In hujuſmodi canticis, & confeſſionibus Deum honorabant utique coram Domino exultantes. Et eidem feſtum honorificum cum omni reverentia facientes. Superni ergo Spiritus, reverentia prius Domino exhibita, & canticis illis expletis, cum magna jocunditate, dicebant. Principes populorum bene, pſallite illi, qui aſcendit ſuper Cœlum Cœli, alleluja. Et ſancti Patres reſponderunt. Principes populi Domini, alleluja, cuſtodes, & adjutores noſtri, gaudium vobis, & pax, alleluja. Et dicebant multa alleluja, & multa alia. Vides ergo, quòd omnes jubilabant, & pſallebant. Nam juxtà Prophetam. Aſcendit Deus in jubilatione. Aſcendit ergo Jeſus paulatim pro conſolatione Matris, & Diſcipulorum, quouſque videre poterant. Ex tunc autem nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum, & in momento cum omnibus Angelis, & prædictis Patribus fuit in patria. Stabant autem Mater glorioſa, & Diſcipuli: Magdalena, & aliæ flexis genibus, & intuebantur in Cœlum, euntem illum, quouſque poterant.

Quomodo Domina cum Diſcipulis juſſu Angelorum rediit in Hieruſalem, & de ingreſſu Domini in Paradiſum. Cap. 101.

DUm ergo ſic ſtarent vultibus elevatis, ecce duo Angeli ſteterunt juxta

ta illos in veſtibus albis, dicentes. Viri Galilæi, quid ſtatis, &c. Redite ergo in Civitatem, & expectate, ſicut dixit vobis. Conſidera, quomodo de ipſis Dominus fuit ſollicitus. Nam ſtatim cum evanuit ab oculis eorum, miſit Angelos ſuos, ne nimium illic fatigarentur, & ut confortarentur, audientes angelicum teſtimonium concordare ſecum de Aſcenſione Domini ſui. Auditis ergo his verbis, Domina humiliter rogavit ipſos Angelos, ut ipſam commendarent Filio ſuo. Illi verò ſe uſque ad terram inclinantes, ejuſdem libenter ſuſceperunt mãdatum. Similiter Apoſtoli, & Magdalena, & omnes alii dixerunt eis. Illis autem diſparentibus, & ipſi redierunt ad Civitatem, ibique morabantur expectantes, ut Dominus Jeſus mandaverat eis. Dominus autem Jeſus, cum univerſa prædicta fœlici, & magnifica multitudine, aperiens januas Paradiſi uſque tunc humano generi clauſas intravit triumphaliter, & gaudẽter, ac reverenter flexis genibus, ait Patri. Pater gratias tibi ago, quia mihi dediſti victoriam de omnibus inimicis meis. Ecce amicos noſtros, qui captivi tenebantur, eos tibi præſento. Sed & fratribus, & Diſcipulis meis, quos in mundo reliqui, promiſi mittere Spiritum Sanctum. Rogo te Pater mi, ut impleas promiſſionem meam, & eos tibi commendo. Tunc Pater erigens eum fecit ſedere à dextris ejus,

& di-

& dixit. Benedicte Fili mi, omnem poteſtatem, & omne judicium tibi dedi, de iſtis Diſcipulis tuis, & de miſſione Spiritus Sancti, pro tuo velle diſponas. Omnes autem ſancti Patres, & beatiſſimi Spiritus, qui adorantes prociderant in faciës ſuas coram Patre ſurgentes, reincœperunt cantica ſua, & jubilabant coram eo laudes. Si enim Moyſes, & filii Iſrael poſt transmigrationem Maris rubri, cecinerunt carmen Domino, dicentes. Cantemus Domino glorioſè, &c. Et Maria Prophetiſſa ſoror ejus, & reliquæ mulieres eam ſequentes in tympanis, & choris Domino canebant; quanto magis modo adverſitatibus ſuperatis? Similiter cum David deducebat Arcam Domini in Hieruſalem, ſi totus populus canebat, & David cum cantoribus cytharas percutiebat, & omnes laudantes coram Domino in cytharis, lyris, & tympanis, & David pſallebat, & ſaltabat totis viribus coram Domino; quantò magis nunc faciunt, qui verè ſunt coram Domino in hoc gaudio conſtituti? Et de hoc habetur in Apocalipſi. Audivi vocem in Cœlo centum quadraginta quatuor milium cytharedorum cytharizantium in cytharis ſuis, & cantabant quaſi canticũ novum ante thronum Dei, & Agni. Quodcunque gaudium illud ſignificet, ego multò magis eum meditor hodie contigiſſe. Omnes ergo conſtituti ibi, pſallunt,

ſunt, omnes exultant, omnes lætantur, omnes cantant, omnes gaudent, omnes jubilant, omneſque manibus plaudunt. Verè in ſuperna Hieruſalem auditur cãticum lætitiæ, & per omnes vicos ejus ab univerſis, dicitur alleluja. Nunquam ab origine Mundi tale feſtum, & tale ſolemne Paſcha celebratum fuit. Nec unquam erit, niſi fortè poſt diem judicii, cum omnes ibi præſentabuntur electi.

De miſſione Spiritus Sancti. Cap. 102.

TUnc his completis, dixit Dominus Jeſus Patri. Pater memento promiſſionis meæ, quam feci de Spiritu Sancto fratribus meis. Cui Pater. Fili, multum gratum habeo, quod promiſiſti, & tempus eſt, ut impleatur promiſſum tuũ. Dicunt igitur ad Spiritum Sanctum. Rogamus te, ut deſcendas, ad Diſcipulos noſtros, & eos repleas, conſoleris, robores, & inſtruas. Et ait Spiritus Sanctus. Ecce ego paratus ſum. Et ſtatim deſcendit in linguis igneis, ſuper centum viginti Diſcipulos ſimul congregatos, & replevit omni gaudio. Cujus Diſcipuli vigore accenſi, & illuminati totum Mundum concuſſerunt, & pro majori parte ſubjecerunt. Nihilominus ſuperni cives, & poſtea laudaverunt, & ſemper laudant Deum, & habent dies lętitię, & nunquam deeſt ibi lætitia, ſolemnitas, & gratiarum

actio,


actio, & vox laudis. Feſtinemus itaque nos ingredi in illam requiem, ubi tanta ſuperabundant indeficienter gaudia: & ad patriam noſtram totis conatibus ſuſpiremus. Odiamus compagem hujus miſeri, & putridi corporis noſtri: & ejus curam non faciamus in deſideriis, quòd nos hic detinet peregrinos, & incarceratos à tanto bono. Et iterum cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, & eam continuè poſtulemus à Domino, quia per nos eam cum ſalute conſequi non valemus.

Modus, & ordo tenendus in ſupraſcriptis meditandis. Cap. 103.

Volo autem tibi tradere modum, quem teneas in prędicando, vel meditando prædicta, ne ſi forte ipſum crederes pertinere ad omnia, & extendere, quæ hic ſcripta repereris, quaſi molem gravem negligas: maximè cum credam uni hebdomadę convenire. Igitur ſcire debes, quòd meditari ſufficit ſolum factũ, quod Dominus Jeſus fecit, vel eum fieri contigit, vel dici ſecundum hiſtoriam Evangelii, & ibi te præſentem exhibendo ac ſi in tua præſentia fierent, prout ſimplici animo nuditer cogitanti occurrit. Moralitates autem, & auctoritates, quas hic ad tuam inſtructionem in hoc opere poſui, non expedit in meditationibus adduci, niſi ſi qua virtus amplectenda, vel vitium dete-

deteſtandum foret. Eligas ergo in his meditandis aliquam horam quietem. Poſtea infrà diem, poteris dicere moralitates, & auctoritates, & eas ſtudiosè memoriæ cōmendare. Quod omninò te facere convenit, quia pulcherrimæ ſunt, & quæ te, quaſi in tota vita ſpirituali valeant informare. Meditationes verò ſic divide, ut die lunæ incipiens, percurras uſque in fugam Domini in Ægyptum. Et eo ibi dimiſſo, die martis cum eo rediens mediteris uſque ad apertionem libri in Synagoga. Die mercurii, exinde uſque ad miniſterium Mariæ, & Marthæ. Die jovis, ab inde uſque ad paſſionem. Die veneris, & die ſabbathi, uſque ad reſurrectionem Domini. Die verò Dominica, ipſam reſurrectionem, & uſque in finem. Et ſic per ſingulas hebdomadas facias, ut ipſas meditationes tibi reddas familiares. Quod quantò magis facies, tibi facilius occurrent, atque jocundius. Libenter converſeris cum Domino Jeſu, & vitam ipſius tanquam Evangelium, ad imaginem beatæ Ceciliæ in corde ſtudeas inſeparabiliter collocare. Sit nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti pauperis crucifixi benedictum in æternum, & ultra. Amen.

PRO-



PROHEMIUM
IN MEDITATIONIBUS
PASSIONIS DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI,

Ubi Miles devotus hortatur ad ipſius Domini Jeſu amorem, & ipſius beneficia continuè recolenda, præcipuèque ad meditandam ipſius ſacratiſſimam Paſſionem.

FIdeli cuique animæ in via Dei, & virtutibus cupienti proficere, atque ad ſupernam Patriam anhelanti, quantum charitatis virtus, atque Chriſti dilectio neceſſaria ſit, & ipſius Salvatoris noſtri ſermonibus conſtat, & cunctis ſacris edocemur eloquiis. In hac ſiquidem ſumma omnium virtutum charitate, finem omnis præcepti conſtitutum eſſe, lumen prę fulgidum illud omnium Eccleſiarum Paulus affirmat, dicens. Finis omnis præcepti eſt charitas de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, in ea quoque legis plenitudinem ſitam eſſe aſſerit, cum inquit. Plenitudo legis eſt dilectio. Abſque hac ſupræma virtutum omnium dilectione, neminem mœreri poſſe, neminem in bonum proficere, nullum ad virtutum apicem

cem provehi, nec ad gloriam pervenire, poſſe, perſpicuum eſt, undè non immeritò Paulus ſic ipſam extulit: cęteris eam ſublimiorem fore proteſtans. Cum pluribus, & innumerabilibus ſupernæ gratiæ numeratis donis, ad ſuperexcellentiorem tandem nos charitatis tranſmiſit viam. Cumque alio loco fructus ſpiritus vellet enumerare, in ipſis fructibus primatum eam tenere deſcripſit, dicens. Fructus autem ſpiritus, charitas, &c. Quæ etenim alia in fructibus ſpiritus principatum debuit tenere, quam ipſa charitas, ſine qua cœterę virtutes, virtutes minimè reputantur. Hujus ſiquidem charitatis, qui poſſeſſor eſt, ille locupletior fore probatur. Hæc eſt illa charitas, de qua ſcriptum eſt. Si dederit homo omnem ſubſtantiam pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. At quia licet charitas in duobus videatur diſtincta præceptis. In Dei ſcilicet, & proximi dilectione, unica tamen eſt charitas, quæ in ſolum dirigitur Deũ, cum & in ipſo, & propter ipſum, diligi proximus debeatur. Eſt itaque charitas iſta, qua Deus diligi præcipitur toto corde, tota anima, totaque virtute. Hæc eſt excelſa dilectio, de qua Redemptor noſter dulciſſimus Jeſus Chriſtus, in ultima ſua cœna, tam ſuaves, tamque ſalubres ſermones Diſcipulis ſuis fecit, ſuper omnia itaque liquet, hunc Jeſum benigniſſimum, diligendum, hujus amore flagrans

vas

vas electionis Paulus, omnes, qui hunc Jeſum amare refugerent, execrabatur, dicens. Qui non amat Dominum Jeſum, anathema ſit, verum cum ad amorem ſuum multa nos excitent, & quam plurima ipſum nobis diligendum fore ſuadeant, vehementer nos incitant ipſius redemptionis, & humiliationis mirifica opera. Hęc quidem ut eum amemus perurgent, ſi quanta pro nobis fecerit, crebra, & continua meditatione penſemus. Quæ bené Apoſtolus ad mentem reducit, dicens. Scitis fratres per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem propter nos egenus factus eſt, cum eſſet dives, exinanivit quoque ſemetipſum, formam ſervi accipiens. Quis digné valeat, ac ſufficienter penſare, quanta fuerit exinanitio illa? Sané non fuit puſilla, non ſimplex, non modica. Nam uſque ad carcerem, uſque ad mortem, nec ad mortem ſolum qualemcumque, ſed turpiſſimam, & horribilem Crucis mortem. O quanta fuit humilitas tua bone Jeſu, quanta manſuetudo, quanta dignatio, ut fieres de ſummo minimus, de domino ſervus, de divite pauper, de verbo caro, de filio Dei filius hominis. Inſuper quis non ſtupeat, quanta ſuſtinuerit humilis iſte Jeſus per annos XXXIII., quibus operatus eſt ſalutem in medio terræ? homo cum hominibus converſatus eſt. Quot neceſſitates, quot incommoda pertulit, dum eſſet in-

fantu-

ſantulus, quot labores in prædicando ſuſtinuit, quot fatigationes in diſcurrendo, quantum attritus in vigiliis, in orando, quot paſſus tentationes, & in jejunando, quot inſidias in colloquendo, quot contradictiones in prædicando. Habuit in factis obſervatores, in tormentis illuſores, & in morte exprobratores? Quam magna multitudo charitatis tuæ Domine! Quis obliviſcetur miſerationes iſtas? Tibi Domine Jeſu in omnibus hiis gratias agere debemus, hæc enim tam grandia, tanquam ſublimia beneficia mentibus noſtris continuò infixa permaneant. Memores ſimus tot beneficiorum ejus, & mirabilium ejus, quæ oſtendit nobis, verum cum hiis omnibus incitemur: immò ex debito ipſum diligere compellamur; præcipuum tamen redemptionis beneficium nos urget. Iſtud beneficium pręceteris tam largum, nequaquam à memoria debet excidere, de ſe, inquit Bernardus, ſuper omnia, inquam reddit amabilem te mihi bone Jeſu, calix quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis, hoc omninò amorem noſtrum facilè vendicat totum ſibi. Hoc inquam hoc, quod noſtram devotionem, & blandius allicit, & juſtius exigit, & arctius ſtringit, & afficit vehementius: hæc Bernardus. Hujus igitur tantæ munificentiæ adſit jugis, frequenſque memoria. In hoc totus inſtet, totus verſetur, totus occupetur quicunque in

Jeſu Chriſti amorem optat proficere: hæc eſt via regia, per quam ſolam pervius eſt inceſſus, cupienti ad divinitatis pervenire cognitionem. Iſta neglecta, quantò quis aſcenderit, tantò profundius cadit. Hæc eſt via, per quam itur ad Deum. Hæc eſt via, per quam ad deſideratum finem patet introitus: per fructiferam namque, & venerabilem Chriſti paſſionem, cunctorum nobis ſpiritualium bonorum copioſiſſimè miniſtratur materia, ibi eſt gloriatio noſtra, ibi ſpes, & lętitia cordis noſtri. Equidem benè id noverat Paulus, cum diceret. Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo: hujus paſſionis non modico fervebat affectu idem Paulus, cum diceret. Ego nihil me ſcire inter vos reputavi, niſi ſolum Jeſum, & hunc crucifixum. Quicunque igitur æternam ſalutem, & præmiorum magnitudinem habere deſiderat, quicunque virtutum arcem optat conſcendere, ſcientiam, atque ſapientiam obtinere, inter proſpera, & adverſa ęquanimiter ſtare, & ſecuram viam incedere, in Chriſti Cruce ſpeculetur, ejuſque paſſionis potum ſuaviſſimum deguſtet, hujus paſſionis mirabilium effectuum minimè erat ignarus devotus ille Bernardus, qui ſuper Cantica ſic ajebat: paſſio tua Domine Jeſu Chriſte ultimum refugium, ſingulare remedium deficiente ſapientia, juſti-

juſtitia non ſufficiente, ſanctitate, ſubcumbentibus meritis, illa ſuccurrit. Quis enim de ſua ſapientia, vel juſtitia, vel ſanctitate præſumat, pro ſufficientia ad ſalutem. Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; itaque cum defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido, ſcio quid faciam. Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo: hæc Bernard. Alio quoque in loco ſic ait. Quid enim tam efficax ad curanda conſcientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Chriſti vulnerum ſedula meditatio? Huc igitur veniat, huc feſtinet, quicunque Jeſu Chriſti devotus fieri miles optat, nihil cupiat, nihil ſapiat niſi Chriſtum crucifixum, vultum erigat, oculos ſubſtollat, in pretioſa vulnera Salvatoris, & timidus, ac dimiſſus animus erigetur ejus exemplo, reddetur ad tollerandum fortior, nec ſua ſentiet, dum illius intuetur vulnera, undè devotus ille Bernardus totus in hæc vulnera transformatus, ajebat: ubi tuta, firmaque infirmis requies, niſi in vulneribus Salvatoris. Tanto illic ſecurior habito, quantò ille potentior ad ſanandum eſt, fremit Mundus, premit Corpus, Diabolus inſidiatur, nō cado; fundatus enim ſum ſupra firmam petram. Peccavi peccatum grande, turbabitur conſcientia, ſed non pertubabitur, quoniam vulne-

rum Domini recordabor. Igitur dum mecum conſiderarem, quanta ex ejus paſſionis ſedula, crebraque memoria bona proveniant, ut hæc via ſit facilior, qua ad dilecti Jeſu amorem inflammer, cogitavi hunc tam pretioſum theſaurum in cordis archano reponere, ut nemo tollat eum à me, ſed continuò in cordis mei viſceribus commoretur. In hoc ſolo meditari propoſui die, ac nocte, in hoc verſari, in hoc cunctas divitias meas conſtituere. Et (ut inquit Bernardus) ut hæc mea ſit philoſophia, ſcire Jeſum, & hunc crucifixum, decrevi ſtudere pro viribus.

Ut hæc ſacratiſſima Domini mei paſſio, mihi adſit frequenter in ore, in corde continuò, in ſcriptis omnibus præcipua, & affectata via, ut ſic nil loqui, nil legere, nil cogitare, nil ſcribere ſciam, niſi ſolum Jeſum crucifixum; ſemper habeam recurſum ad vulnera pretioſa, ad foramina lata, & ſpatioſa. Ingrediar in petram, abſcondar in foſſa humo à facie timoris Domini, & à gloria majeſtatis ejus, ut per ſuaviſſima hæc foramina ſugam mel de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo, ut guſtare valeam, & videre, quam ſuavis ſit Dominus. Nam undè clarius ſuavitas apparere poterat, quàm ex vulneribus; majorem enim charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat, quis pro damnatis. In hoc igitur confidam, in hoc ſperabo, quia hic plenitudo gratiæ, miſe-

rationum abundantia, plenitudo dulcedinis, virtutumque perfectio concluſa jacet. Ibo igitur ad illa pretioſiſſima vulnera, & ad Prophetæ admonitionem, relinquam civitates, & habitabo in petra, eroque quaſi Columba nidificans in ſummo ore foraminis. Et quidem non alio in foramine, niſi in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ, hoc eſt, in vulneribus Jeſu Chriſti. Ibi igitur totus verſari, totus occupari curabo, ut Crucem ſacratiſſimam Domini Jeſu continuè mecum portem in corde, in corpore, & in ore. In corde per continuam memoriam, & compaſſionem, ut cum Apoſtolo dicam. Nihil ſcio, niſi ſolum Jeſum crucifixum, & ejus parebo mandatis, qui ait: pone me, ut ſignaculum ſuper cor tuum. In corpore quoque adverſa quælibet pro ejus amore ferendo, ut dicere poſſim: nemo mihi moleſtus ſit. Ego enim ſtygmata Domini Jeſu in corpore meo porto, inſuper & dicam Chriſto confixus ſum Cruci. In ore etiam ſit mihi ſemper hæc ſuaviſſima paſſio, ut ei gratias cunctis horis exhibeam, qui vulneratus eſt propter iniquitates meas; veruntamen ô Domine Jeſu, quia ſine te nihil facere poteſt fragilitas mea, non enim quod volo bonum hoc perficere valeo, trahe me poſt te, ut curram in odorem unguentorum tuorum, in odorem inquam tuæ ſuaviſſimæ paſſionis, ut non paſſim, non feſtinanter, non aren-

arenti corde, ſed ardenti affectu, & flebili compaſſione ipſam meditari valeam die, ac nocte. Conſiderans, & devotè intuens flagella, illuſiones, & opprobria. Jaceat, & quieſcat continuè mens mea in foraminibus tuis, in vulneribus, & clavis tuis, qui foderunt manus tuas, & pedes tuos, in corona ſpinea, in lancea, cujus ferrum pertranſivit animam tuam, & appropinquavit cordi tuo, ita ut cunctis momentis confixus ſim Cruci, nec mihi libeat gloriari, niſi in Cruce Domini mei Jeſu Chriſti. Sicque meditando, reſolvatur tota, & liquefiat anima mea, & tota convertatur in te Dominum meum Jeſum crucifixum. Nihilque videat, nihil ſentiat intra ſe, niſi Jeſum crucifixum, illuſum, exprobratum, & pro me paſſum. Tuo igitur fultus patrocinio, & de tua miſeratione confidens, cujus miſericordiæ ſunt multæ, & ab æterno uſque in æternum aggrediar, quod concupiſcit anima mea, hanc tuam meditando paſſionem ſacratiſſimam, eam per partes ſingulas, & actus particulares, prout præſtabit tua abundantiſſima gratia dividendo, & actus ſingulos ſolerter ruminando, ad laudem, & gloriam tuam, qui es benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

DEVOTISSIMÆ MEDITATIONES ſuper ſacratiſſimam Paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Prima Meditatio de adventu Domini Jeſu in Hieruſalem ſuper Aſinam, & ejus introductione in Civitatem, cum canticis, & laudibus; & reverſione ejus in Bethaniam eadem die.

APpropinquante termino, quem providentia Divina ab æterno præfixerat, in quo ad paſſionem, & Crucis horribilem mortem, quam pro humani generis redemptione venerat ſuſcepturus unigenitus ejus Filius, propter hoc in virginali utero incarnatus, accederet ipſe benigniſſimus Jeſus, ſicut per totum vitæ ſuę curſum, in omnibus ejus actibus, ſummam demonſtravit humilitatem, ſic circa hunc ſuum finem ad paſſionis ſuæ locum veniens ab humilitate ſumpſit exordium, cum ſuper humili ſedens Aſello, ad Civitatem venerit, ubi Crucis ſupplicium fuerat ſubiturus. Igitur cum ante ſex dies Paſchæ piiſſimus Jeſus cum Diſcipulis ſuis ſuam cœnam feciſſet, in Bethania, Caſtello Mariæ, & Marthæ in domo Simonis leproſi, qui earum Mariæ, & Marthæ familiaris extiterat, ubi & Maria ſuper ipſius caput Jeſu Unguenti alabaſtrum effudit, mane ſequenti, ſummo

modiluculo ipſe mitiſſimus Jeſus, duos ex Diſcipulis ſuis convocans, dixit. Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt, ubi Aſinam ligatam reperietis, & pullum ejus, hos ſolventes, mihi adducite. Quod ſi vobis quiſpiam reniterit, dicite, quia Dominus ipſis opus habet; & confeſtim eos liberos dimittent. Parent humiles, & obediẽtes Diſcipuli, & ab Animalium domino conceſſa liberaliter licentia, Aſinam, & pullum dilecto Magiſtro præſentant. Jeſus autem ſuper Aſinam conſcendens, iter dirigit verſus Hieruſalem. Cumque veniſſet ad deſcenſum montis Oliveti, turbæ multæ, quæ audita novitate miraculi de Lazaro ſuſcitato, illuc venerant, audientes quòd Jeſus Hieruſalem adveniret, exierunt obviam ei. Et ut majorem ei honorem impenderent, alii eorum, veſtes ſternebant in terram, alii verò frondes de arboribus cœdebant, & ad terram ſternebant, ne veneranda jumenta, quibus Agnus manſuetiſſimus inſedebat, terram contingerent, partimque præcedentes, partimque ſequentes, omnes clamabant. Oſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini: his igitur laudibus, & jubilis, benignum Jeſum cum Diſcipulis ſuis comitantes uſque ad portas Hieruſalem, adduxerunt; quam Urbem, ut Jeſus aſpexit, ejus jam prænoſcens futurum excidium, compaſſione motus lachrymas effudit ſuper eam,

Phariſæi verò, & Scribæ invidiæ calore ſuccenſi, & laudibus, & honore Jeſum cernentes extolli, ipſum redarguerunt, monentes eundem, ut ejus Diſcipulos ipſum collaudantes increparet. Quibus benignus Jeſus reſpondit. Amen dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt. Ingreſſo igitur Domino in Civitatem, facta eſt commotio totius populi, ſicque à turbis introductus, ſtatim perrexit in Templum, ubi ſimoniacos, & rapaces ementes, & vendentes ejecit de Templo, ibique in Templo multis ſanatis ęgrotis, cœcis, claudis, aliiſque infirmis, acclamantibus pueris: Oſanna filio David. Scribæ, & Phariſæi tabeſcentes invidia, & iracundia deſiccati circundederunt eum. Et oſtẽdentes indignationem cordis ſui, de laude puerorum confutationem per verbum propheticum audierunt, iterumque ſuorum facinorum expulſionem, de Templo indignè ferrentes ab ipſo Jeſu quæſierunt, in qua poteſtate id faceret, eis plenè reſpondit. Sic igitur benigniſſimus Jeſus tota die cum eis diſputans, ut eos converteret, & in eorum oculis crebra divinitatis miracula faciẽs, & Gentilium ad ſe trahens turbam, delapſa voce de clarificatione paterna, ut narrat Joannes, paſſionis ſuæ modum, & fructum mirabilem, ipſis prædicens prædicationem ſuam, protraxit ad veſperam. Et circunſpectis omnibus, cum jam veſ-

pera

pera eſſet hora, reſpiciens ſi quis forte eum ex pietate invitaret hoſpitio, nec quemquam reperiens in Urbe ſacrilega, humiliter egreſſus ex Urbe cum Diſcipulis ſuis, famelicus, & jejunus, qui tamen paulò ante cum tanta gloria introductus fuerat, Bethaniam rediit, unde mane receſſerat. Ibique, ut refert Matthæus, illum fidelium conventum docebat de regno Dei. Crediturque, quòd ſic omni die fecerit, ut in die prædicans in Hieruſalem ſteterit, rediens in ſero jejunus Bethaniam uſque ad quintam feriam, in qua in monte Syon cœnam paſchalem eum Diſcipulis mãducavit: Heu igitur, ò anima mea collige paululum te intra te ipſam, totamque te transferas ad dulciſſimi Jeſu Chriſti meditandam ſacratiſſimam paſſionem. Linque omnes alias curas, omneſque cordis diſtractiones in unum colligens, jacta omnem cogitatum tuum in Domini paſſionem. Et ſi cum ipſo regnare cupis, ſibique patienti compatere, rumina ſolerter, diſcute diligenter, & ſingulariter revolve actus ſingulos benigniſſimi Jeſu. Sic enim devotè penſanti, occurrent multa, in quibus Chriſto Jeſu compatiens in ipſius ardentius accenderis amorem. Nunc igitur ò anima mea in hujus ſacratiſſimæ paſſionis primordio, quia cum canticis, & laudibus exceptus eſt benigniſſimus Jeſus noſter, introeamus & nos in conſpe-

ctu ejus in exultatione, occurramus ſapientiſſimo, manſuetiſſimo, & optimo Jeſu noſtro, qui ut Agnus manſuetus hodie venit ad locum victimæ, & dicamus. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Exulta ſatis filia Syon, jubila filia Hieruſalem, ecce Deus noſter veniet, & ſalvabit nos. Sed conſideremus, quæ hic noſter manſuetiſſimus Agnus egit, in hoc ſuo adventu, ſuam namque demonſtravit ſolitam humilitatem, ejuſque exemplo nos inſtruit, quàm falſus mundani honoris appetitus exiſtat, cum ipſe humillimus Jeſus obviam ſibi venturam turbam, ut ei honorem impenderet, jam prænoſcens Aſinæ vilitatem accepit, nec qualemcumque aſſumpſit Aſinam, ſed communibus obſequiis populi ſubjugatam, afflictam, & oneratam; hęc etenim Aſina, ut creditur, pauperibus erat communis, qui jumenta propria non habebant, cum quis in ea operatus fuerat, pabulum dabat ei, & pullo, qui pariter ad opera communia mittebatur; mundum enim quiſquam aſcenderat eum: O benigniſſime Jeſu, quanta eſt humilitas tua! Tu enim accipere potuiſſes deſtrerium cujuslibet hoſtis tui, ſicut Aſinam, ſed voluiſti pie Jeſu pietatem, humilitatem, ac manſuetudinem demonſtrare, jumentum aſſumens deſpectum, & manſuetum, totum deditum obſequiis hominum. O ſublimis humilitas humilis, & admiranda

randa ſubmiſſio! Rex enim Regum, Princeps Principum, & Dominus Dominantium non erubuit, tam vili, & tam deſpecto in ſedere jumento, inter jumenta namque omnia, & quadrupedes non vilius, non abjectius reperit. O fœlix aſelle, qui tam generoſum, ac pretioſum corpus tuo portare tergo dignus effectus es! Tu quidem inter cœtera animantia ratione carentia, magna dignus es veneratione, qui meruiſti portare æterni Patris Filium, & merito; Tu enim, cum ipſe pius Jeſus in diverſorio natus extitit, & in præſepio reclinatus illicò adoraſti, tuoque afflatu ejus frigida membra refoviſti. Bone Jeſu, quomodo tam charum hunc Aſinum habuiſti, ut & nativitatis tuæ haberes comitem, & ad paſſionem tuus ductor exiſteret. Quippe tu humilis humilem elegiſti, humilis namque, ac dimiſſæ naturæ ipſe aſellus exiſtit, ad obedientiam promptus, & ſuperbię nimis ignarus. Non enim magis extollitur, ſi deaurata ei ſuperponatur ſella, frenumque balteatum, quàm ſi rudi, & abjecto corio veſtiatur, inflicta ei verbera, & ſtimulos patienter portat, nec ob hoc à cœpto deſiſtit itinere. Meritò igitur, ò mitiſſime Jeſu, humilitatis ſpeculum, humili voluiſti inſedere jumento, quòd propriè eſt pauperum, & humilium perſonarum, quo uti ſolent pauperculi, & viles homontiones. Elegiſti, ò pauperrime Je-

ſu, quod pauperi congruebat, & ut melius tua reluceret paupertas, non ſellam, aut ſedile aliquod habuit aſellus, cùm veſtes ſuperpoſueris pro ſedili. Non ibi etiam, ut arbitror, nobile frenum fuerat, ſed vilis corda collo jumenti circundata; fœlix, qui talis ſonipedis ductor eſſe promeruit, videre mihi videor: O dulciſſime Jeſu, charos tuos Diſcipulos, te circumcirca ſtipantes, ſummo repletos gaudio, cum te tanto extolli honore cernebant: ipſi quidem in ſpiritu exultantes, te corde, & ore laudabant; populus autem ille indoctus, ſolis te labiis honorabat, cor autem eorum longè erat à te. Eya igitur, ô anima mea, ecce ſponſus noſter advenit, exeamus & nos obviam ei, ramos, & flores ante Chriſtum ſternẽtes, hoc eſt bonis operibus, & vitiorum victoriis adornati exeamus, cum viola humilitatis, cum lilio caſtitatis, cum roſa charitatis: his etenim floribus fulciri poſtulat ſponſus noſter inquiens: fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Exeamus obviam ei extra portam, exeamus ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes. Et hæc de humilitate manſuetiſſimi Jeſu ſuper aſinam ſedentis dixiſſe ſufficiant: Sed non pigeat te. O anima mea ad alia, quæ in hoc mirando Domini Jeſu adventu acciderunt, pauliſper attendere, ſed ſingulos ejus actus cum devotione cogita: Non

enim

enim eſt ſic facilè prætereundus quilibet ſuaviſſimi Jeſu actus: Mox etenim, ut ingreſſus Civitatem eſt, perrexit ad Templum, & vendentes, & ementes indè expulit, in hoc oſtendit ſuam affluentiſſimam bonitatem. Non enim ad palatium ivit, ſeu ad Regni ſolium, aut ad tribunal judiciarium: ut de ſuis ſacrilegis homicidiis vindictam ſumeret, qui jam eum ſuo firmo ſtatuto occiderant, ſed ivit ad Templum, ubi piiſſimè illuminavit cœcos, erexit claudos, & multos ſanavit infirmos; mirare & ejus mirabilem potentiam, quia ſolus inermis ſacrilegos illos de Templo ejecit, adeò ut nullus ei reſiſtere auſus fuerit. Quiddam namque (ut inquit Hieronymus) igneum, & radioſum egrediebatur de facie ſua majeſtatis inſigne. Conſpice quoque pium Jeſum ſuper Civitatem ex compaſſione deflentem. O benigne Jeſu; quid te ad lachrymas movit, niſi ſola charitas, & dilectio? At ego infœlix, quia charitate vacuus ſum, flere non valeo: Nunquam te riſiſſe comperio dulcis Jeſu, ſed pluries te fleviſſe: Fleviſti in morte Lazari: Fleviſti in tua paſſione: Inter arcta quoque conditus præſepia vagitus dediſti. O humiles lachrymę veræ dilectionis inditia: ideo te Mariam dilexiſſe probatur, quia lachrymis rigavit pedes tuos, & quia ſtabat ad monumentum foris plorans, miſerere mei dulciſſime Jeſu, & preſta, ut lachrymę meæ

ſint mihi panes die, ac nocte, ciba me lachrymarum pane, & potum da mihi cum lachrymis in menſura. Attendamus inſuper immenſam paupertatem, admirandamque patientiam piiſſimi Jeſu. Cùm enim in mane, cum tanto fuiſſet honore receptus, & tota die pro illis laboraſſet ingratis, circunſpectis omnibus, non invenit, qui ſibi poculum offerret aquę frigidæ, ſed in Bethania jejunus cum Diſcipulis ſuis rediit: O quanta eſt patientia tua, quàm immenſa paupertas tua, dulciſſime Jeſu! compatere anima mea dilecto Jeſu, & lachrymas ne contineas, ſi diligis eum, jam non modica dignus eſt compaſſione: vides enim quanta egeſtas fuit, cùm in tam lata Urbe, & opulenta, nullus inventus eſt, qui eum invitaret hoſpitio, ſed ad parvam villam Lazari oportuit remeare: Bone Jeſu, cur ego ibi non aderam, domunculam poſſidens, qua te ſuſcipere potuiſſem: Forſitan tù dignatus fuiſſes, ad publicanum, & peccatorem deſcendere, dixiſſes mihi mitiſſime Domine, quia in domo tua hodie me oportet manere, & ſalus facta fuiſſet domui ipſi. Sed heu mihi miſero. Nonne ego te quotidie in altari cerno, qui ille idem es, qui à Maria, & Martha ſuſceptus es? Poſſum igitur te domo ſuſcipere. Sed vereor dulcis Jeſu, ne poſtquam domum repereris ſordibus pollutam, renuas introire. Sed miſerere pie Domine,

& qui

& qui ſolus purgare potes, tua benigna miſericordia maculas meas terge, ut te dignè recipere valeam, tù igitur ò beniginiſſime Jeſu, qui tanto hodie honore exaltatus fuiſti, in quo te tam humilem oſtendiſti, qui es generoſum manſuetudinis, & humilitatis ſpeculum reſpice parumper in ſervum tuum, & ei preſta, ut in hac tua profunda humilitate te valeat imitari, tuique exemplo cuncta dimiſſa, & infirma grandi animi affectu, & ſtudio aggredi, altaque, & ſublimia quæque reſpuere. Quicquid enim pro tuo amore fit, non parum eſt, vel infirmum, ſed dignum Regno Cœlorum.

Meditatio de reverſione Domini Jeſu in Hieruſalem, poſt diem Palmarum, & de multiplici prædicatione in Templo, & de conſilio facto per Judęos de ipſo occidendo, & de oblatione facta per Judam.

SCiens benedictus Jeſus ſuæ mortis finem approximare, quamquam de noſtra fuerit ſemper ſalute ſolicitus, in ultima ſeptimana clarius opere demonſtravit, dum ſummo mane rediens in Templum in Hieruſalem, ubi in præcedenti die, cum tot ſuſceptus fuerat laudibus, tota die prædicationi vacavit, beneficiis, & miraculis, ſcripturarumque expoſitioni ipſum Filium Dei fore teſtantium. Audiens doloſas Phariſæorum, &

Seri-

Scribarum quæſtiones, & ſalutiferè eis reſpondens. Et ne ex iracundia videretur eos arguere, eorum perfidiam, atque malitiam cum multa patientia confutavit in pluribus, multas eis parabolas dicens, & Diſcipulos ſuos una cum turbis exhortans: unde & in hac ſeptimana illud Danielis completum extitit. Conſumavit pactum multis hebdomada una: Pactum quidem, quod nobiſcum fecit eſt, cum noſtram aſſumpſit naturam, quo ſcilicet nobis totam ſuam præbuit vitam, ut tota foret redemptio mortis noſtræ. Tota igitur die vacans prædictis, ut piè creditur, uſque ad veſperam jejunavit. Tunc in Bethania exivit, modicum ſumpturus cibum, quo tenue illud ſuſtentaret corpuſculum domo Mariæ, & Marthæ. Ciboque ſumpto in montem pergebat Oliveti, ibique in oratione pernoctans, & ut arbitror nonnunquam diem jejunus ſine cibo tranſibat, unde ſi bene advertis, ò anima mea, dulciſſimus Jeſus tuus die, quo cum palmis in Hieruſalem introductus extitit, cum in ſero in Bethaniam rediiſſet, nequaquam cœnavit. Cum poſtea ſequenti mane Hieruſalem rediret, & videns fici arborem, exuriens ad eam acceſſerit, ſi quid in ea reperiret, quæ ejus mandato illicò aruit. Si igitur in ſero cœnaſſet, in mane minimè eſuriſſet. Attende hic, ò anima mea, & diligenter conſidera, quale erat exercitium

dul-

dulcis Jeſu per diem, & noctem. Mane etenim ad Urbem pergebat in Templum prædicationibus intendens, & ſermones ad populum faciens, longaſque cum Scribis, & Phariſęis diſputationes contexens. Sicque uſque ad veſperam cum ſuis Diſcipulis talibus inſiſtebat. Cumque propinquaret veſpera Civitatem exiens ad Caſtrum Lazari, Mariæ, & Marthæ pergebat. Ibique cum ſuis reficiebatur Diſcipulis. Non enim credo, quod pluſquam ſemel comederet in die dulcis Jeſus, niſi cauſa fuiſſet legitima. Ibique, ut arbitror, charas illas ſuas Diſcipulas ſuavibus, & dulcibus paſcebat eloquiis. At cum crepuſculum noctem adduceret, recedebat inde delicatiſſimus Magiſter, cũ Diſcipulis ſuis in montem conſcendens Oliveti, qui parum inde diſtabat. Vide quæſo ſummam æterni ſapientiam, licet etenim cum ſuis Diſcipulis, quaſi continuè in domo illarum mulierum comederet, & ut arbitror, etiam in die longam interdum traheret moram, nocte tamen adveniente, nequaquam ibi morari volebat, ſed in montem aſcendebat, ubi quidnam exiſtimas agebat. Sanè ut arbitror, dilectos docebat Diſcipulos, in die intendere non valuerat, quia cum Judęis occupatus fuerat. Poſtquam modicum capiens ſomnum ſuper nuda humo, quæ ut exiſtimo, ſibi continuò erat lectus, reſiduum noctis vacans orationi, dormien-

tibus

tibus ſimul, & orantibus ſuis Diſcipulis, conſumabat. Et cum dies jam clara eſſet, pergebat ad Templum. Tu igitur, ò anima mea, ſi diligis Chriſtum tuum, ipſum ſtudeas imitari. Feria autem IIII. ejuſdem ſeptimanæ, Principes Sacerdotum, & Scribæ in atrio Cayphæ congregati, ex eo quod ea, quæ à Chriſto fiebant, eorum continuè propulſabant auditum, non valentes ſufferre, ſed mortis ejus accelleratione inardeſcentes, conſilium inierunt, quomodo Jeſum dolo tenerent, & occiderent. Timentes verò, ne iniquum eorum propoſitum impediretur à Populo, qui ut Prophetam Jeſum venerabatur, nolebant, ut in die feſto id fieret, ne major tumultus fieret in Populo. O glorioſiſſime Jeſu, quale conſilium contra te fieri audio! Quid contra te conſpirant hi perfidi Judæi? Convenerunt ſimul adverſum te, animam tuam accipere conſiliati ſunt. Dixerunt impii intra ſe non rectè cogitantes, opprimamus virum juſtum, injuſtè deglutiamus eum, tanquam infernus, mittamus lignum in panem ejus, & erradamus eum de terra viventium, auferamus memoriam ejus de terra, & nomen ejus non memoretur amplius: quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius operibus noſtris, improperat nobis peccata legis, diffamat contra nos peccata noſtra, promittit ſe ſcientiam Dei habere, & Filium Dei ſe nominat. Factus

ctus eſt nobis in introductionem, & revelationem cogitationum noſtrarum, gravis eſt nobis, etiam ad videndum, quoniam eſt aliis diſſimilis vita illius, & abſtinet à viis noſtris, tanquam ab immunditiis, tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & gloriatur, ſe patrem habere Deum, videamus, ſi veri ſunt ſermones illius, & tentemus, quæ ventura ſunt illi. Si verus Dei Filius eſt, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum, contumeliis, & tormentis interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus, morte turpiſſima cōdemnemus eum, & probemus patientiam ejus: his igitur loquentes ſermonibus conſilium faciebant, ut occiderent pium Jeſum. Nolunt autem fieri in die feſto, ſed tu benigne Domine diem feſtum elegiſti ad mortem tuam, ut majus ſuſtineres opprobrium, utque ignominioſior fieret mors tua, in Urbe regia, & in die ſolemnitatis, ubi omnes populi de circunſtantibus Urbibus, atque cohærentibus Provinciis cōveniebant, opprobrioſum pati voluiſti ſupplicium, ut eo dedecus ſuſtineres majus, quo mors tua pluribus nota eſſet: inſuper ut oſtenderes, quod ille fueras, de cujus morte figuratus fuerat agnus paſchalis. Tunc igitur impius Judas ad ſic congregatos Sacerdotum Principes abiit, dicens: quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Qui audientes gaviſi ſunt, viden-

videntes iniqui propoſiti iniquum adjutorem, unum, qui de familia fuerat pii Jeſu, & ei triginta ſpoponderunt argenteos: O proditor nequiſſime, ò ingrate, Diſcipule, equidem non diſcipule, ſed hoſtis aſperrime, hæccine ſunt, quæ tuo reddis Magiſtro. Hæc ſunt, quæ pro tot tibi ab eodem collatis beneficiis præmia condigna retribuis? O ſacrilege traditor, & ſacratiſſimi ſanguinis truculente mercator! Quid erga te exercuit Dominus meus benignus Jeſus? In quo te contriſtavit, aut in quo tibi moleſtus fuit, ut ſic execrabiliter eum perdas. Ingrate, beneficiorum immemor, aſſumpſit te pius Jeſus in Diſcipulum ſuum, ut de Electorum exiſteres numero, teque diſpenſatorem eorum, quæ ſibi, & cęteris dabantur, effecit, & tu ad Judæos properas, ut ipſis eundem tradas, ſola concitatus avaritia, & illectus cupiditate: O impiiſſime proditor, quàm parvo pretio eum, qui erat ſummum pretium, quo mundus redimi debebat, vendidiſti! Qualem putas de te ſummi Sacerdotes habuere deriſum, cum conſpexere Diſcipulum, Magiſtrum, ac benefactorem ſuum ſic viliter prodere, & tam exiguo vendere pretio. Sed vhæ tibi, bonum tibi namque extitiſſet, ſi natus non fuiſſes, quàm natum tam enorme facinus perpetraſſe. Hæc igitur dies, ò pie Jeſu, magna mihi ſemper eſt veneratione colenda, in memoria tanti piaculi.

Hæc

Hæc dies eſt lamentationis, & fletus, in qua caro tua ſacratiſſima vendita eſt pro me miſero redimendo.

De præparatione cœnę facta per Diſcipulos, die jovis, & lotione pedum Diſcipulorum per ipſum Jeſum facta, ac de multis actibus exemplaribus ipſius Jeſu in ipſa cœna.

PRima die azimorum, feria ſcilicet quinta, in cujus diei veſpera, agnus paſchalis occidebatur, & edebantur azima ſecundum conſuetudinem Judęorum, acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum, videntes diem feſtum, & Magiſtrum proprium nõ habere hoſpitium, ubi reclinarę poſſet, dixerunt: ubi vis paremus tibi comedere paſcha. O benigne Jeſu, modo tuam divinitatem oſtendiſti Diſcipulis, dicens. Ecce introeuntibus vobis in Civitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ bajulans, ſequimini eum in domum, in quam intrat, & dicite domino, Dominus ubi eſt diverſorium, ubi paſcha cum Diſcipulis meis manducem. Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum grande ſtratum, & ibi parate nobis paſcha. Ad hæc autem peragenda, duos tantum ex Diſcipulis miſit, Petrum ſcilicet, & Joannem. Demonſtraſti duplici ſigno tuam Divinitatem, ò bone Jeſu, dum hunc Judæum hominem invitaſti, ut hoſpitium, quod ſibi, & ſuæ familiæ paraverat ad paſcha cele-

bran-

brandum, tibi dimitteret liberè, hunc quoque cognoſcere per abſentia ſigna, & futura contingentia inſinuaſti. Qui igitur primo nec Chriſto, nec Diſcipulis familiaris exſtiterat, ſic ſe uſu proprii nudavit hoſpitii, ſicque ſe totum ad Jeſum, & Apoſtolos tranſtulit, ut ex tunc recollectionis Apoſtolorum refugium factum ſit, ubi & nunc conſtructa manet Eccleſia, quæ Syon cœnaculum nuncupatur. O fœlix domus, domus tantis conſecrata miſteriis, ut ibi Chriſtus legalia conſumaret præcepta, & ſui corporis, & ſanguinis Sacramenta inaudita charitate inſtitueret, ſermonem nobilem Diſcipulis faceret. Ibique poſt reſurrectionem ſuam, ipſe benignus Jeſus ſuis apparuit Diſcipulis, in die quoque Pentecoſtes in eadem imiſſionem faceret Spiritus Sancti. O venerande mons Syon, mons coagulatus, mons pinguis, in quo beneplacitum eſt Deo, habitare in eo, multaque miranda in eo operari. Hic mons, quaſi favus diſtillans dulcedinem, & flos redolens ſuavitatis odorem, pias mentes ſui commendatione afficit, confortat, ac reficit, ac ſanctitatis ſuæ præeminentia conſolatur. Et quidem elegit Dominus Syon, elegit eam in habitationem ſibi. Fœlix & hic Paterfamilias, qui tam grandis charitatis Jeſu Chriſto præparavit cœnaculum. Imitemus hunc patremfamilias. O anima mea hominem inſe-

qua-

quamur, qui ſervum deſtinavit ad hauriendum aquam, homo & enim exterior noſtrę fragilitatis hauriat aquam lachrymoſæ contritionis, in puteo ſuæ profundæ malitiæ, quam & humeris ſatisfactionis virtuoſæ portet ad judicium rationis, quo ipſa ratio, & voluntas lota dignum Jeſu valeat præparare cœnaculum. Parata igitur menſa, & agno paſchali cum cœteris oportunis, hora veſpertina venit illuc Jeſus cum reliquis Diſcipulis ſuis. Et cum facta eſſet hora, diſcubuit ad menſam. O cœna beatiſſima! O fœlix convivium, beati qui ad cœnam tuam diſcumbunt: O clementiſſime Jeſu, beati qui digni facti ſunt, ut tecum in convivio epulentur. Epulas etenim, eis præbebis & aquam vivam, quibus ſumptis, non eſurient, neque ſitient in æternum. O benigne Jeſu, indica mihi formam, & ſeriem illius cœnæ delicatiſſimæ, ut ipſam mente revoluendo, tecum, & cum Diſcipulis tuis reficiar. Videre mihi videor, dulcis Jeſu, te in grandi cœnaculo cum Diſcipulis tuis recumbentem. Cerno ibi paratam menſam quadratam, quatuor habentem angulos, ſecundum Judęorum morem, & in terra poſitam. Ita ut quaſi jacendo recumbentes ad menſam ſtarent, & ſuper eam integrum agnum aſſum, & cibaria cœtera, quæ hoſpes ille paraverat, teque cum Diſcipulis tuis diſcumbētem, ita ut tres ex Diſcipulis pars ſingula

qua-

quadratæ menſæ caperet, & te Magiſtrũ in aliquo ex angulis reſidentem. Et à dextris, ut exiſtimo, chariſſimum Diſcipulum Petrum, quem cœterorum Principem conſtituiſti, quique ferventiſſimè te ſemper dilexit. A ſiniſtris verò dilectiſſimum Diſcipulum Joannem, cui virgini Matrem virginem commendaſti, dehinc Diſcipulos reliquos ſeriatim recũbentes: Manet & hodie menſa Romæ, in Eccleſia Lateranenſi, quæ menſa dicitur, quod in uno quadro eſt duorum brachiorum, & palmorum ſeptem, & ſtrictè tres Diſcipuli in uno quadro ſedebant. O ſocietas ſanctiſſima! O glorioſa concio! Sedet Agnus manſuetiſſimus inter manſuetas oves, quibus tamen lupus rapax, & canis rabidus Judas, ſcilicet proditor, eſt admixtus, ſedent. O bone Jeſu, hi filii tui, ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ: Sedent omnes, illo excepto, magna in ſimul charitate connexi: Edunt appoſita fercula, & agno puriſſimo juxtà Judæorum morem veſcuntur. O beatum diverſorium! O beatum cœnaculum veneratione dignum, in quo Dominus epulari dignatus eſt! Quare non ibi tunc affui dulcis Jeſu? ut miniſterium aliquod, ſaltem ex minimis, tibi, tuiſque Diſcipulis exhiberem. Collegiſſem utique aliquid ex micis, quę de menſa Domini mei cecidiſſent. Idque mihi ſatis extitiſſet, ſi tuam venerandam faciem

ciem contemplari potuiſſem, ad pedes tuos me ſtraviſſem, & lachrymis cum Magdalena rigaſſem: Et tu benigniſſime Domine, qui reſidens in convivio, plorantem non ſpreviſti Mariam, me quoque publicanum, & peccatorem non renuiſſes: O ſuaviſſime Jeſu, quàm dulcia fuiſſent faucibus meis eloquia illa amœniſſima tua, & ſaluberrimi ſermones, quibus charos reficiebas Diſcipulos. Quidnam eloqui cœpiſti Domine, cum ad mẽſam poſitus eſſes? Deſiderio, inquis, deſideravi, hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar: O quanta eſt charitas tua, quàm immenſa dilectio, bone Jeſu; deſideras cum tuis manducare Diſcipulis, qui tamen cibo corporali non indiges, ſed cibum alium habes manducare, quem neſciunt. Cibus quidem tuus eſt, ut facias voluntatem Patris tui. Ecce nunc recumbentem ad menſam Dominum Jeſum cùm Diſcipulis ſuis. Ipſe verò Dominus Jeſus, ſciens quia venit ejus hora, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cum per aliquod ſpatium ſediſſent ad menſam, agno veſcente paſchali. Sciens Jeſus, quia omnia dedit ei pater in manus, & quia adeô exivit, & ad Deum vadit, ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cum accepiſſet lintheum, præcinxit ſe; deinde miſit aquam in peluim, & cœpit

lava-

lavare pedes Diſcipulorum, & extergere lintheo, quo erat præcincto. Cœpit ergo à Simone Petro, quem Principem conſtituere decreverat Apoſtolorum, licet aliquorum ſit opinio, quòd à proditore exordium ſumpſerit, qui nullam reſiſtentiam fecit, de quo modicum eſt curandum. Quibus igitur Apoſtolis ſedentibus, in parte domus inferiori, relicta menſa, quæ in parte parata erat ſuperiori, venit ad Simonem Petrum, quem Petrus ante ſe incurvatum intuens, ejuſque pedes poſcentem, ut eos lavaret, magno extitit oppreſſus ſtupore: Nunquid enim ſtupere non debuerat, cum pedibus ſui viliſſimi piſcatoris, Filium Dei inclinatum cernebat ad miniſterium lotionis? O humillime Jeſu, quis unquam tibi ſimilis fuit, aut erit, in hac profundiſſima tua humilitate. Anima mea non ſunt hæc ſermone proferenda, ſed cum magna cordis liquefactione penſanda; admirari igitur potuit Petrus meritò, & ecce quid ait: Tu mihi lavas pedes? Crede anima mea, quòd Petrus tantam conſpiciens humilitatem lachrymas continere non potuit. Undè & de ipſo refertur, quòd cum poſt Domini aſcenſionem, quaſi continuè fleret ex memoria dulcis Jeſu, interrogatus à Clemente, cur tantum fleret, reſpondit: Cum ad memoriam venit humilitas, ac pietas Domini mei Jeſu Chriſti, quòd ad pedes meos lavandos fuerit inclinatus,

natus,

natus, lachrymas continere non valeo. Recuſante igitur Petro porrigere pedes. Ait illi Jeſus. Quod ego facio, tù neſcis modò, ſcies autem poſtea. Cui iterum Petrus. Non lavabis mihi pedes in ęternum. Benignus verò Jeſus ait ad illum. Si non lavero te, non habebis partem mecum. Petrus hoc territus ſermone, reſpondit. Domine, non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput. Vidiſti, ò pie Jeſu tantum horrorem in mente Petri, tantamque de profunda tua humiliatione admirationem, quod licet communi locutione perſuaſiſſes eidem, nequaquam acquieviſſet, undè ſic ei acerbè comminari voluiſti, cum hanc comminationem ſolus ipſe prę cęteris formidabat, qui te ferventiſſimè diligebat, & animam ſuam pro te ponere promptus erat, unde non ſuſtinens hanc jacturam, totum ſe Salvatori ſubdidit. Loto igitur Petro, venit ad cęteros Diſcipulos, ſingulorum pedes ſimiliter lavans: ipſi verò ex correctione Petro facta, nequaquam Jeſum prohibere ſunt auſi, ubi verò omnium pedes lavit, ſic ad eos loquitur dulcis Jeſus. Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus, & vos mundi eſtis, ſed non omnęs. Sciebat enim quiſnam eſſet, qui traderet eum, ideo dixit: non eſtis mundi omnes. Nunc habes, ò anima mea ſeriem cœnæ dilectiſſimi Jeſu. Sed ſingulos ejus actus ſedula mente, & cum

devotione recogita, quia multa tibi in hac cœna exempla præbuit dulcis Jeſus. Conſpice in dilecto Jeſu mirabilem charitatis fervorem, quam tranſiturus de hoc mundo ad Patrem in Diſcipulos demonſtravit, ut ſui copiam ſic charitativè eiſdem faceret manducando paſcha cum eis, & cętera, quæ in ipſa cœna fecit populo memoranda. O dulciſſime Jeſu dilexiſti equidem Diſcipulos tuos, & uſque in finem dilexiſti, quia uſque ad mortem, ut mortem pro eis ſubires. Et quidem majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, quamvis enim, ò benigne Jeſu, omnia in menſura feceris, hoc ſolum ſcilicet diligere nunquam in menſura feciſti, nec mirum, quia ſpiritum ad menſuram non accepiſti, ſed hodie maximè in fervore charitatis exceſſiſti. Vide etiam in humili Jeſu proſperitatis contemptum, quia licet tanquam Dominus, & Magiſter ſederet inter Diſcipulos, formam ſervi accipiens, ſurgit à menſa, & veſtimenta deponit, ut liberius miniſterio vacare poſſet. Intuere quoque munditiam dulcis Jeſu, quia præcinxit ſe lintheo. Cerne præ cęteris ſtupendam humilitatem, quia miſit ipſe aquam in peluim, non juſſit per alium poni: O humillime Jeſu tù ſolus omnia faciebas, hauſiſti aquam, poſuiſti ad ignem, in peluim miſiſti, recumbere feciſti Diſcipulos, & ad ſingulorum

pedes

pedes te proſternẽs humiliter lavaſti eos, & manibus propriis extersiſti. Quid humilis ſervus plus facere poterat? Reſpice inſuper exceſſivam benignitatem, quia ab hac lotione proditorem ſuum nequaquam fecit alienum, ſed ipſum toleravit, & quantum potuit, ab iniquo ſtudebat revocare propoſito; lavando cum cęteris, & communicando. Sed grandis fuit impietas crudelis Diſcipuli, qui nec humilitate obſequii, nec oblatione ſui ſacratiſſimi corporis, potuit ammoveri, ecce diſcurramus, ò anima mea ſingulos actus mirificos dilectiſſimi Jeſu in devotiſſima lotione. Poſtquam ergo omnium Diſcipulorum pedes lavit, audi quid ait. Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus, & vos mundi eſtis, ſed non omnes. Et his dictis, ſumpſit veſtimenta ſua, & cum Diſcipulis ſurſum ad menſam rediit, quam paratam reliquerat. Et cum iterum ad menſam recubuiſſet, charos Diſcipulos taliter pius Jeſus alloquitur. Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis, ſum & enim. Si ergo ego lavi pedes veſtros Dominus, & Magiſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Amen dico vobis, non eſt ſervus major Domino ſuo, nec Apoſtolus major eo, qui miſit illum. Si hæc ſcitis, beati eritis,

ſi feceritis ea, non de omnibus vobis dico. Ego ſcio, quos elegerim: hæc verba fuere dilecti Jeſu, cum ad menſam reſediſſet. Nunc ad te ſermonem deflectens, ò benigniſſime Jeſu: Quid faciam ego miſer? Ecce tu dulcis Domine dediſti exemplũ Diſcipulis, & mihi, qui & tuus diſcipulus ero, ſi tua mandata ſervavero, ſi in tua dilectione permanſero: Exemplum dediſti, ut quemadmodum tu feciſti, ita & ego faciam: Quid feciſti mitiſſime Domine? Exceſſiva charitate me dilexiſti: ita à me poſtulas, ut te diligam. Tuo igitur exemplo, pedes tuos ò dulciſſime Jeſu redemptor noſter lavabo pedibus tuis, provolvar cum Maria Magdalena. O benigne Jeſu Domine, nec ceſſabo lachrymis rigare, lavabo quoque pedes Diſcipulorum meorum, hoc eſt ſenſuum meorum inordinatorum appetituum, ſenſualitatis meæ: hii profecto mei Diſcipuli fuere, quia mandata mea, & meæ miſeræ carnis ſemper ſervarunt. Hos ergo ſenſus meos lavabo, ut ſicut carni amodo ſervierunt, nunc diſcant ſervire ſpiritui. Sed ad menſam prius ſedebo, ſicut tù bone Jeſu ad menſam, ſcilicet quam paraſti in conſpectu meo adverſus eos, qui tribulant me. Paraſti quidem menſam, ſcilicet tui ſacratiſſimi corporis, & tuæ ſanctiſſimæ paſſionis, hæc eſt menſa, de qua dixiſti, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo, & cum ad menſam

ſede-

ſedero, faciam quod in proverbiis dicitur. Sediſti ad menſam divitis, ſcilicet Chriſti, vide quæ tibi apponuntur, ſcito & te ſimilia debere præparare, ideſt pati ſicut ipſe. Tuæ igitur paſſionis veſtigia imitari conabor, prius tamen ad menſam ſedebo ſic, poſtea ſurgam: Surgam prius quam ſedero, cum manducavero panem doloris: Sedebo in humilitate, nec niſi poſt humiliationem, aſſurgere audebo, ſed ſedens prius manducabo panem doloris, & me reficiam, faciens ut lachrymę meæ ſint mihi panes die, ac nocte: Pręcingam quoque me lintheo caſtitatis, & munditiæ, ut ſint lumbi mei præcincti, cingam me virtute, & actibus virtuoſis: hæc ſi fecero pie Jeſu, de tua pietate confido, quòd ad menſam tuam iterum me reduces cum Diſcipulis tuis; verum glorioſiſſime Jeſu, quia ſine te nihil valet fragilitas mea, clementiam tuam exoro, ut hanc dilectionem, cujus mihi exemplum tribuiſti, ſic cordi meo tenaciter imprimas, ut nihil quęram, nihil cupiam, niſi te ſolum Jeſum diligere, & totus tua paſſione ſim continuè transformatus.

Meditatio, quomodo Dominus Jeſus poſt lotionem pedum, mirabile Sacramentum ſui Corporis, & Sanguinis inſtituit, & Diſcipulos communicavit, & de multiplicibus ipſius Sacramenti laudibus.

AD te levavi oculos meos, qui habitas in Cœlis: Ecce ad te proclivus accedo, ò clementiſſime Jeſu, & procidens adoro te, miſerere mei benigniſſime Domine, ne deſpexeris orationem meam. Jube vago, & diſcolo cordi meo, ut ad ſe redeat, & in ſe commorans deſinat vagari per devia. Solve faſciculos meditationum deprimentium mentem meam, quæ ex tranſverſo ſubrepentes ipſam mentem diverberant, concutiunt, & inſtabilem reddunt: Trahe me ad te, ò amantiſſime Jeſu, ſalus mea, conſolatio mea, refrigerii meum. Nam percuſſus ſum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum Oblitus ſum equidem tui, ò dilecte Jeſu: nam paſſionem tuam ſanctiſſimam ſedula meditatione memoriæ non habui, & in tuis pretioſis vulneribus non ſum delectatus, nec meditatus ſum nocte cum corde delictum meum. Fateor, ò dulcis Domine, quia non fui memor tui, nec exercitatus ſum, nec ſcopſi ſpiritum meum, non fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte. Quid igitur faciam? Revertar ad Dominum Jeſum meum,

meum, & invocabo eum, non ceſſabo reiterare ſanctiſſimum Jeſu nomen, donec ſonet vox tua in auribus meis: Veni igitur ò bone Jeſu, & miſerere mei: Audi dulcis Jeſu orationem ſervi tui. Abſorbe cor meum in ſanguine tuo, ò mitiſſime Jeſu; fiat cor meum, ò benigniſſime Jeſu, tanquam cera liqueſcens in medio cruenti lateris tui. Accipe mentem meam, & ipſam in aliquo tuę paſſionis articulo circunvolue: Præſta ſuaviſſime Jeſu, ut exhalet cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcat ignis. Deduc me Jeſu piiſſime, ad cœnam tuam ſanctiſſimam, ubi te cum Diſcipulis tuis audiam loqui, ſedentem ad menſam tuam, poſtquam eorum lavaſti pedes. Dic mihi, ò anima mea, ſi legiſti, quid fecerit ſubſequenter Dominus meus Jeſus, poſtquam ad menſam reſedit, lotis Diſcipulorum pedibus, ſanè adhuc manducantibus illis, accepit Ieſus panem, & gratias agens, benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait. Accipite, & comedite: hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Et cum ſingulis panis bucellam prębuiſſet, calicem apprehendit, & imittens vinum, gratias agens, ſimiliter dedit eis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Biberuntque

ex illo omnes. Si ſtamus hic paululum, ò anima mea, & devota meditatione penſemus miranda, quæ fecit Jeſus noſter benedictus. Memoriam namque fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus eſcam dedit timentibus ſe. O cœna mirifica, in qua tot mirabilia facta ſunt, hæc tua ultima fuit cœna, ò dulciſſime Jeſu, quam facturus eras, cum de hoc mundo fores tranſiturus ad Patrem. Multa equidem in ipſa cœna ſtupenda tua charitate conſtituiſti. Sed præ ceteris, ut tuæ paſſionis memoria fixa inhæreret fidelium mentibus, hoc tam excelſum, tam ſuave, tam ſublime, & delectabile, nec non & tutiſſimum ordinaſti tui Corporis, & Sanguinis Sacramentum. O mirabile Sacramentum, in quo omnis mellifluі ſaporis ſuavitas, omneque ſuave delectamentum habetur in hoc Sacramento. O dulciſſime Jeſu, quàm ſuavis, quàm dulcis exiſtis ſi ſapide deguſtaris. In hoc mirifico Sacramento tua nos reficis corporali præſentia, in alia quidem forma, ſed in propria ſubſtantia. Quid igitur plus cupio, ſi pręſentem habeo Jeſum meum? At nunc video per ſpeculum in ænygmate, tunc autem facie ad faciem. Non ſufficio mirari, ò benigniſſime Jeſu, tuam immenſam liberalitatem, tuamque largiſſimam donationem. Quid amplius? Quid ſublimius dare poteras dulcis Domine? Grandia quippe,

ac

ac pretioſa in hoc tuo teſtamento liquiſti. Opulenta ſanè à te eſt relicta hæreditas; linquunt alii morientes heredibus Civitates, & Caſtra, poſſeſſiones, atque pecunias; fabricas, & ædificia fieri jubent, & ornata ſepulchra, ut eorum non aboleatur memoria: Sed tù pie Domine, ut tuę ſacratiſſimæ paſſionis continuam haberemus memoriam, te ipſum reliquiſti, te ipſumque donaſti in pabulum aſſumendum, & hoc conſtituiſti venerandum, glorificandumque Sacramentum, & in numeris laudibus extollendum. O liberaliſſime Domine! O exuberans pietas Salvatoris mei dilecti Jeſu! Quomodo tuæ ſanctiſſimæ paſſionis unquam queo immemor fore, cum quotidie hoc tuum ſaluberrimum aſpiciam Sacramentum. Heu mihi bone Jeſu, quia dum mirãdum hoc intueor Sacramentum, non adeſt mihi jugis memoria tuæ mortis, unde mea ſalus, & liberatio proceſſerant. Ingratiſſimus ſum, & torpore plenus pie Domine, cum hoc ſacratiſſimum, & venerandum tuum Corpus aſpicio, ſi te Redemptorem meum non recolo, crucifixum, flagellatum, irriſum, & turpiſſima morte occiſum. O caput meum aridum, cur non hauris aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris? O lachrymæ, cur non catervatim effluitis in lætitia, & exultatione, dum meam liberationem rememoro, in hoc mirabili Sacramento. Cur nõ

totus in me ipſo deficio, conſiderans immenſam tuam charitatem, largitatemque præcipuam, qua te ipſum in cibum præbuiſti. Miſerere mei benigniſſime Domine, quia præ duritia, & ariditate cordis, fructum hunc ſalutificum guſtare non valeo. Et tamen miſerrimus ego Sacramentum hoc præſumo ſuſcipere. Et heu mihi, quia non lotis manibus, & pedibus, manducare non erubeſco. Attendo enim, dulciſſime Jeſu, quòd in hac tua glorioſiſſima cœna, antequam hoc tuæ paſſionis memoriale nobiliſſimum conſtitueres Sacramentum, tu humilitatis ſpeculum formam ſervi accipiens, pedes laviſti Diſcipulorum, dicens inſuper Petro: ſi non lavero te, non habebis partem mecum. Nonne igitur magnæ erit præſumptionis, graviſque offenſæ imminebit periculum, ſi tecum partem habere velim, Sacramentum hoc ſuſcipiendo, non præmiſſa primitus lotione. Novi igitur pie Domine, quis, qualiſve eſſe deberem, cum ad tantum accedo Sacramentum, lotione ſiquidem primitus facta: id mihi ſcio opus fore bone Jeſu, ut per ſingulas noctes lectum meum lavem, & lachrymis meis rigem ſtratum meum, lavem itaque pedes, per compunctionis lachrymas, & interiorem mentis devotionem. Sed heu me infeliciſſimum, quia ego tam viliſſima creatura ad tam excellentem majeſtatem accedere non formido, totus infe-

infectus putredine, fœtoribuſque maculatus, & ſordibus accedo indignus peccator ad ſpiritum divinum, qui peccatum non fecit, accedo elatus, & ſuperbus ad pium Jeſum, & manibus illotis, ac pedibus edere præſumo, veruntamen piiſſime Jeſu ſcio, quòd major eſt dignatio tua, quàm indignitas mea, tua benignitas, quàm miſeria mea. Ideoque confidens de tua benignitate te ſumere audeo, ut ſic infirmus accedam ad te medicum, ut tua liberer medicina, quantò enim infirmior ſum, tantò plus te opus habeo, ut in mei liberatione magis apparebit tuę pietatis immenſitas. Accedam igitur confidenter mitiſſime Jeſu, quia infinitę ſunt miſericordiæ tuæ, & tecum fruar delitiis beatorum. Da igitur mihi bone Jeſu panem tuum, qui eſt mundi vita, & præſta benigne Domine, ut dignè manducare valeam, ut in te maneam, & tu in me. Hoc enim unum cupio, hoc poſco, ut tecum inſeparabiliter commorer, nullique alii adhærere volo, dulcis Jeſu, niſi tibi, quia apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

Meditatio, quomodo Dominus Jeſus poſt communicationem Diſcipulorum prædixit eis ſe eadem nocte per unum ex eis tradẽdum; & de eleganti ſermone, quem fecit, quouſque perrexit ad hortum.

PIus, ac benigniſſimus Jeſus, cum ſuos Diſcipulos pretioſo ſuo Corpore, & Sanguine refeciſſet, turbatus eſt ſpiritu, & ait Diſcipulis ſuis. Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet, qui manducat mecum, ut adimpleatur ſcriptura. Qui manducat meum panem, levabit contra me calcaneum ſuũ. O quàm durus eſt hic ſermo, ò benigniſſime Jeſu, heu quam dura, & acerba cibaria in fine cœnæ tuis reſervaſti Diſcipulis, mel, & lac in primordio, & in medio dediſti eis, cum pedes eorum laviſti, & eos tuo pretioſo corpore, ac ſanguine refeciſti: Modo fel, & abſinthium in fine ſervaſti, cum horridos protuliſti ſermones: heu mihi dulcis Domine, videre mihi videor, charos Diſcipulos tuos totos territos, hoc verbo audito, grandique mœrore confectos. Nonne gravis eis inerat dolor, quòd tu eorum Magiſter, dux, gubernator, & ductor, ac rector, ad mortem tradendus eſſes, & quod durius erat, quòd ex eis unus id eſſet facturus. Grave quidem primum fuerat, ſed immodeſtius ſecundum, atque acerbius videbatur. Sed audi, ò ani-

ò anima mea, quid reſponderint Diſcipuli, audito hoc verbo. Aſpiciebant ſe ad invicem, & vix valebant verba formare, & tremula voce dicebant. Proh dolor! qualia ſunt verba iſta, quæ profert charus Magiſter noſter? Quis ille tam perfidus erit ex nobis, qui tam deteſtandum perficiat ſcelus? Ego equidem dicebant ſinguli, nequaquam id cogitavi, nec in mentem venit. Quomodo namque poſſet talis cogitatio in mentem cadere? Attamen Dominus noſter minimè falli poteſt. Quarè converſus ad Dominum unuſquiſque dicebat: nunquid ego ſum Rabbi? Quibus benedictus Jeſus reſpondit: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino, hic me tradet, at cum plures ex eis fortè tunc manus in catino intingerent, quis ex eis ille foret, deprehendere minimè potuerunt: Tunc Judas, qui manus intingebat cum aliis, ait: Nunquid ego ſum Rabbi? Sed pius Jeſus non prodens illum, reſpondit: Tu dixiſti, quaſi diceret. Non ego dico, ſed tù. Putandum ſanè eſt, quòd ſi pius Jeſus ſuũ proditorem aliis prodidiſſet, Diſcipuli manus ſuas nequaquam cõtinere potuiſſent, quo minus impetum unanimiter facientes in proditorem illum nequiſſimũ, manibus, pugnis, ac gladiis inſultaſſent, eumque, qui mortis auctor futurus erat, peremiſſent: Quomodo enim quieſcere potuiſſes, ò Petre, qui in copioſam cohor-

tem

tem inſultum facere minimè formidaſti. Cupientibus igitur omnibus noſce tanti ſceleris autorem. Petrus cœteris ferventior innuit uni ex Diſcipulis, ideſt Joanni Evangeliſtæ, quem diligebat Jeſus, qui tunc in ſinu recumbebat benigniſſimi Jeſu, ut ab ipſo dilecto Magiſtro expoſceret, quiſnam ille foret. Cum itaque dilectus ille Diſcipulus ſupra pectus Jeſu recubuiſſet, dixit ei. Domine quis eſt? Cui reſpondit Jeſus. Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero; & cum intinxiſſet panem, dedit Judæ Simonis Iſchariotis. O fœlix Diſcipule, qui ſic à Domino amari meruiſti, cuique ſecreta Dominus revelavit. O dilecte Joannes, amabaris quidem à Domino, quia ipſum quoque amabas Dominum: unde, ut reor, ſupra pectus ejus, audito verbo illo terrifico, ex mœrore, & triſtitia reſediſti. Et unde tibi hæc, ò Joannes? Nunquid tu ſublimior Petro? Andrea ſanctior, an cęteris omnibus Apoſtolis gratioſior? Speciale (ut ait Anſelmus) hoc virginitatis privilegium, quia virgo es electus à Domino, atque inter cęteros magis dilectus. Poſtquam igitur perfidus proditor bucellam panis aſſumpſit, introivit in eum Sathanas, dixitque ad eum tunc dulcis Jeſus: Quod facis, fac citius. Quod quidem verbum nemo diſcumbentium intellexit; putavere namque quidam, quòd quia loculos habebat Judas, ei dixiſſet Dominus

ut emeret, quæ ad feſtum neceſſaria fuerant, aut egenis aliquid daret. Moxque Judas à menſa diſcedens, maligno ſpiritu impellente ipſum, pergit ad Principes Sacerdotum, & Scribas, paratum ſe offerens ad tradendum eis benigniſſimum Jeſum. Ipſe verò pius Jeſus cum reliquis undecim Diſcipulis ad menſam remanens, dulcibus eos eloquiis conſolans, ait. Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo, & continuò clarificabit eum, longoſque contexens ſermones ad dilectionem ad invicem habendam permaximè hortans eos, concludens in hoc, quòd ejus Diſcipuli comprobabuntur, ſi dilectionem habuerint inter ſe. Ipſis quoque altercantibus adinvicem, quis eorum major eſſe videretur, admonuit eos, ut qui major erat in eis, fieret ſicut minor. Inſuper receſſum ſuum ab eis notum ipſis fecit, dicens. Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum. Quęritis me, & ſicut dixi Judæis: quo ego vado, vos nō poteſtis venire. Converſuſque ad Simonem, ait. Simon, ecce Sathan expetivit vos, ut cribraret, ſicut in triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Dixit ei Simon Petrus. Domine, quo vadis? Reſpondit Jeſus. Quo ego vado, non potes me modo ſequi, ſequeris autem poſtea. Dicit ei Petrus:

Qua-

Quare non poſſum te ſequi modo? Paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire, & animam meam pro te ponam. Cui Jeſus ait. Animam tuam pro me pones. Amen dico vobis, quia vos omnes ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim: percutiam Paſtorem, & diſpergêtur oves gregis; poſtquam autem reſurrexero, & præcedam vos in Galilæam. Reſpondens autem Petrus, ait illi. Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. Ait illi Jeſus. Amen dico tibi Petre, quia tu hodie in hac nocte, priuſquam bis Gallus cantet, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur. Et ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes dicebant. De hinc benignus Jeſus melliſluum exordiẽs ſermonem, per longum protraxit ſpatium. Et ultra quàm humana mens ſit ſufficiens capere, æternæ charitatis Apoſtolis patefecit archana, quæ dilectus Diſcipulus Joannes Evãgeliſta, per ſpiritum ſanctum, memoriam retinens verborum Jeſu, miro Sacramento conſcripſit. Sed quæſo te, ò anima mea, pauliſper hic conſiſte, & ſedula, ac devota meditatione intra te ipſam revolve, & rumina hos melliſluos ſermones dulciſſimi Jeſu noſtri, quos Diſcipulis ſuis diſervit tranſiturus ad mortem. Attende ejus mirabilem in ſuos Diſcipulos charitatẽ: Comedit benigniſſimus Magiſter

giſter cum charis Diſcipulis; lavit eorum pedes, corpus ſuum ipſis, & ſanguinem tradidit, & poſt hæc omnia, eos non ceſſat hortari ſermonibus. O mitiſſime, & benedicte Jeſu, verba, quæ Diſcipulo loqueris, profectò ſpiritus, & vita ſunt. Idque cognovit Petrus, cum dixit. Verba vitæ æternæ habes, nam eloquia tua eloquia caſta, & dulcia faucibus te amantium ſuper mel, & favum, idipſum quoque cognoverunt hi, qui miſſi à Principibus, ut te comprehenderent, retulerunt. Nunquam ſic locutus eſt homo. O deſertiſſime orator, favus diſtillans, labia tua, mel, & lac ſub lingua tua. O quàm elegantia, quàm mirifica hæc verba fuere, quæ Dominus meus in ultimo protulit Diſcipulis, namque dilectionem invicem habendam monet; de hinc ad ipſius Jeſu dilectionem hortatur eoſdem. Poſt hæc, anguſtias, & preſſuras, quas paſſuri erant, prædixit; & demum pro eis orationem ad Patrem fudit. Super omnia verò mirari non ſufficio, ò ſapidiſſime Jeſu, quanta de tua fueris dilectione locutus. Hoc præcipuè Diſcipulis tuis mandas, hoc præcipis, ut te diligant, ut te ament, ò excellentia amoris, ò vehementia dilectionis, ò præeminentia charitatis, hanc præcipuam, ò pie Domine tuis Diſcipulis reliquiſti; hæc igitur extollenda, hæc in votis omnibus expetenda eſt, qui te non amat, ò bone Jeſu, abjiciatur abs te. Equidem

dem aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatẽ. Nam fortis eſt,ut mors, dilectio: ſané ſi dedero omnem ſubſtantiam domus, pro dilectione, quaſi nihil ſi deſpiciam eam. Quis igitur me ſeparabit à charitate tua, ò ſuaviſſime Domine. Tribulatio? an anguſtiæ? an perſecutio? an fames? Sed quia ſine te nihil poſſum agere bone Jeſu, hanc mihi tenaciter imprime charitatem, vulnera cor meum hac dulciſſima charitate, ut te ſolum diligam ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute, toto deſiderio, & ex tota affectione. In hoc ſolo omnis mea dirigatur cogitatio, omnis meditatio feratur, cętera carnis deſideria amove à me dulcis Jeſu, ut ſolum te toto corde exquiram, deſideret te anima mea in nocte, ſed & ſpiritu meo, & in præcordiis meis de mane vigilet ad te. Sitit enim anima mea ad te Deum fontem vivum, quandò veniam, & apparebo ante faciem tuam? At qui non ambigo clementiſſime Domine, quia te dilexero, ut tuis Diſcipulis dixiſti, diligar & ego à Patre tuo. Tuque, & Pater ad me venietis, & apud me manſionem facietis. Et quid amplius volo, quid plus cupio, quàm ut inhabitet in me Jeſus meus. O me fœlicem, ſi dicere poſſem digné. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Si dulcibus amplexibus aſtringere valeam, dilectum meum Jeſum, equidem tenerem,

nec

nec dimitterem eum. Heu piiſſime Domine, ure renes meos, & cor meum, ut hac ferventiſſima ardens charitate, te ſolum quæram Jeſum Chriſtum, qui pro me crucifigi, & mori voluſti, tua vehementiſſima charitate.

Meditatio de receſſu Domini Jeſu à cœnaculo poſt cœnam, & aſcenſu in montem Oliveti cum Diſcipulis; & de trina ejus oratione facta in Horto.

MOs erat benigniſſimo Jeſu ad montem Oliveti, qui per miliare Hieruſalem diſtabat, ſæpè illuc cauſa orationis aſcendere. Ibi villa aderat nomine Gethſemani, ubi & fuerat hortus in monte ſitus, in quem piiſſimus Jeſus nocturno potiſſimum tempore ſolitus erat cum Diſcipulis ſuis cauſa orationis intrare, heu completa glorioſiſſima, & celebri cœna, & dulcibus ſermonibus cum Diſcipulis diù protractis, egreſſus eſt de cœnaculo, cùm jam nox eſſet obſcura, & comitantibus eum Diſcipulis, greſſus dirigit verſus montem prædictum.

Hìc conſpice, ò anima mea Jeſum tuũ Agnum innocentiſſimum, qui ultrò vadit ad victimam, intuere, & ſequentes eũ Diſcipulos pavidos, gementes, & dura trahentes ſuſpiria. O quàm dulcibus eloquiis, & ſuavibus monitis putas Diſcipulos hortari non deſiſtebat, dum ſic proficiſce-

ciſceretur. O quam amaras lachrymas putas fundebant Apoſtoli, dum Dominum, & Magiſtrum ſuum cernebant ſic eos dulciter alloquentem. Proponebant (ut arbitror) cuncta, quę fecerat cum eis in cœna, & verba, quę dixerat, quomodoquè tradendus ad mortem erat ipſa nocte. Conſpice ipſos Diſcipulos ſuſpenſos ſtantes, & grandi aviditate ſuaves Magiſtri monitus auſcultantes. Pendent omnes ab illo pretioſiſſimo ore dilecti Magiſtri ſic dulciter ſecum confabulantis. O dura ſeparatio! O durum, & acerbum divortium! jam ſeparabitur benigniſſimus Magiſter à dilectis Diſcipulis. Quid igitur mirum, ſi flebiles, mœſti, ac triſtes eſſe debuerant? Noverant experti, quàm jocundum, quàm placidum, foret cum Jeſu dilecto morari, & ejus gratioſo frui cõſortio, meritò igitur triſtabantur ex amiſſione dilecti Jeſu. O quam lamentabiles, ut exiſtimo, dabànt voces, dicentes. Magiſter optime, ſic relinques nos orphanos, linques nos ſic deſolatos? Et ipſe paſtor benigniſſimus eos dulcibus hortabatur eloquiis; arbitror quoque, quod ipſe miſericordiſſimus Dominus ex compaſſione gementium Diſcipulorum lachrymas cõtinere non valebat. Adhæreas & tù, ò anima mea, huic prętioſę catervæ, & Dominum tuũ, qui pro te vadit ad mortem, ſuſpirans, & deflens commitare, dicens. Domine ſequar te quocunque ieris, para-
tus

tus ſum & ego tecum, & in carcerem, & in mortem ire. Sed heu mihi, tu piiſſime Domine dilectos Diſcipulos armis præmunis ſpiritualibus, & robuſtos eos efficere ſatagis. At impiiſſimus Judas gentem Judæorum lætalibus armis fulcire, ſolicitus eſt, ut te comprehendant. Fervent corda Diſcipulorũ, dum eos ſic dulciter alloqueris, fervet & domus Principis Sacerdotum: ibi parantur lanceæ, funes, & gladii, accenduntur lanternæ, & peſſimus ille proditor ſatellites inſtruit, quomodo te capiant, ne fallantur. Jam Prophetæ illud impletum eſt: dedit contra me voces adverſarius, dicens: Congregamini, & properate ad devorandum illum. O proditor nepharie, quid feciſti? Tu liquiſti ſedẽtem ad menſam cum Diſcipulis clementiſſimum Dominum, Regem Cœli, & Terræ, qui tibi Regnum Cœlorum tradere poterat, ubi ſine fine, gaudio fruereris æterno, & Diabolum ſecutus es, qui ad Judæos te duxit, quique te flammis ſulphureis ſine requie cruciabit; liquiſti pretioſum Apoſtolorum cœtum, qui à dextris Dei ſunt ſeſſuri, & judicaturi duodecim tribus Iſraël, & ad Sacerdotum cœtum properaſti, ab ipſo Domino judicandorum, ad pœnas tartareas, & inferni continuos cruciatus, cum quibus & tu judicaberis. Dimiſiſti pium Dominum, verba dulciſſima, & ſaluberrimos monitus diſſerentem, & eorum ſocietatem

tatem tù abhorrens, Principes adiiſti Sacerdotum, & funebria verba cum eis loqueris. Remanſit benigniſſimus Jeſus, verba vitæ Diſcipulis loquens, & tu iterum cum Judæis verba mortis profers: tractavit Dominus Jeſus cum Diſcipulis de via ſalutis habenda, & tu cum Judæis ad viam perditionis accedis. Sed vhę tibi proditor nequiſſime, quia duriſſimas patieris pœnas.

Nunc ad Dominum Jeſum ad hortum cum Diſcipulis ſuis properantem revertamur; venit ergo Jeſus cum Diſcipulis ſuis, & introiens in hortum, juſſit Diſcipulos ſuos ſedere, & orare, & tres ex eis, ſcilicet Petrum, Jacobum, & Joannem aſſumens ſecum, ſeceſſit in partem, cumque ſimul cum tribus Diſcipulis conſediſſet, cœpit mœſtitia affici, & totus triſtari, pavidus quoque fieri, & tędere, & velut ſemimortuus tremula voce charos Diſcipulos alloquitur: Filioli mei dilecti compatimini mihi, quia triſtis eſt anima mea uſque ad mortem, ſed ſuſtinete hic paululum, & vigilate mecum, donec vadam illuc in orationem. Siſte hic, ò anima mea, & cum lachrymarum abundantia huc accede, & pio Jeſu compatere ſic afflicto, conſpice ipſum totum mutatum facie, & faciem palore ſuffuſam geſtantem, vixque valentem verba formare. Et quid ait? Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. O benigniſſime Jeſu

ſtupo-

ſtuporem mihi non modicum ingerunt hæc verba. Quid enim pavens? Quid triſtaris? Unde tibi hęc mœſtitia pie Domine? Paves ne mori? Pœnas formidas, quas paſſurus es? Sed ad quid aliud in hunc mundum veniſti, ò dulcis Domine? & carnem in virginali Utero aſſumpſiſti? niſi ut mortem noſtram tua morte deſtrueres, & ſalvum faceres, quod perierat? Et quid tuum naſci profuiſſet, niſi & redemptio, quæ per tuam facienda eſt mortem, ſubſequatur? Si tu mortem refugis bone Jeſu, quis pro meo delicto ſatisfaciet? Audivi te etiam hac nocte, dicentem Judę: quod facis, fac citius. Tunc optabas citò mori, nunc videris velle refugere. Sed credo Domine, quòd tu cum homo eſſes noſtris dignatus ſubjici paſſionibus, mortem naturaliter timens, dicebas: anima tua, ideſt pars ſenſitiva, in qua inſunt paſſiones, triſtis eſt uſque ad mortem. Sicque tunc ſola in te loquebatur humanitas. Tunc ſolum dura conſiderans tormenta, quæ in tuo pretioſiſſimo corpore eras perpeſſurus. Auſim quoque dicere, quòd cum tu anxiè mortem ſitires, ſitibundo quoque affectu humani generis fieri optabas redemptionem, quã per tuam fieri oportebat mortem, longum tibi videbatur, quod tam diu mortis hora protraheretur; unde tuam dicebas triſtari animam uſque ad mortem, ideſt quouſque exoptatam aſſumeres mortem; non

enim

enim quiſcere poteras, donec id exequereris, opereque compleres; hęc igitur tua triſtitia voluntaria erat, non coacta, cum nihil in te coactum fuerit, ſicut in nobis paſſiones exiſtunt; non igitur paveas bone Jeſu, ſed pugna cum Diabolo, ut mortem noſtram tua morte reſuſcites. Conſpice quoque Diſcipulos, dum ſic loquentem, & mœſtum cernunt Magiſtrum, quomodo plorant, ſuſpirant, & ſecum gemunt. Poſtquam verò hæc verba locutus eſt, avulſis eſt ab ipſis Diſcipulis, quantũ eſſet jactus lapidis, & poſitis genibus ſuper terram, procidenſque in faciem ſuam, orabat dicens. Pater mi, omnia tibi poſſibilia ſunt, ſi fieri poteſt, transfer à me calicem iſtum, veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat. Et poſt paululum, ab oratione ſurgens, ad tres Diſcipulos, quos reliquerat, eſt reverſus. Quos cum dormientes inveniſſet, ait Petro. Simon dormis? ſic? Non potuiſtis una hora vigilare mecum. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem; ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Petrus verò potius increpabat, quia præ cęteris fuerat gloriatus. Inſuper quia inter eos principalis extiterat. Iterum ſecundò abiit ad locum alium, à loco priori per jactum lapidis ſimiliter diſtantem, oravitque eundem dicens ſermonem. Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua. Iterumque

que ad Diſcipulos rediens, invenit eos dormientes; erant enim oculi eorum gravati, & ignorabant, quid reſponderent ei; & relictis illis, iterum ad locum alium ſeceſſit à prædictis ſimiliter elongatum. Orabatque tertiò eundem ſermonem, dicens. Factuſque in agonia, prolixius orabat, & factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, ex fervore namque orandi, & imminentis periculi apprehenſione, vehementique anxietate ſenſualitatis, quæ agere permittebatur, & pati, quod proprium erat, adeo ſibi cor inflammabatur, & corpus, ut apertis poris, ſudor ſanguineus, & rubicundus affueret; tunc Angelus de cœlo apparuit ei in viſione corporali, aſſumpto humano corpore, per modum ſervientis, conſolans eum, tandem ab oratione ſurgens, ivit ad relictos Diſcipulos, & invenit eos dormientes præ triſtitia. Et ait illis: dormite jam, & requieſcite, ſufficit. Surgite, & orate, ut non intretis in tentationem. Ecce appropinquat hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus. Ecce appropinquat, qui me tradet.

Hic immoretur pauliſper, ò anima mea, huc omnis meditatio noſtra transferatur; venite huc, ò cogitationes meæ, quæ hinc indè vagantes diſcurritis, recolligatur mens intrà ſeipſam, & cogitatum ſuum omnem jactet Dominum Jeſum.

Nam cogitatio mea confitebitur tibi bone Jeſu, & reliquiæ cogitationes diem feſtum agent tibi. Trahe me, ô pie Domine ad hortum, ubi eras, ut te orantem cōſpiciam, & ſic afflicto compatiar; voca me, & dicas. Veni in hortum meum ſoror mea, ſponſa mea. Feſtina, ô anima mea, accedere ad dilectum, quia dilectus noſter aſcēdit in hortum ſuum, ad aream aromatis, ut ibi paſcatur in hortis, & lilia colligat. Conſideremus, ô anima mea, & meditemur attentè cuncta, quæ fecit noſter Jeſus, & ſingulos ruminemus actus, minutatimque ſcrutemur, multa namque à pio Magiſtro ſumamus exempla. Vides quomodo clementiſſimus Magiſter, dato Diſcipulis ſuis charitatis, & patientiæ ſalutaris mandato, & diſpoſito eis Regno Patris ſui, ad locum proditori notum divertit cum illis, ad montem ſcilicet Oliveti, ut oret. Exiturus igitur ad bellum, & durum initurus certamen, orationis ſe prius ſuffragio præmunivit. Diſce & tù ipſius exemplo, cum arduum quid aggreſſurus fueris, ad orationem prius habere recurſum. Vides quoque quomodo oraturus linquit Diſcipulorum cœtum, tres tantum ſecum ducens, ut in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum, & quidem ſi meminiſti, orantes in publico, redarguere ſolitus erat. Et alibi, aſcēdit ipſe ſolus in Montem orare. Tres autem illos vocavit, quos & in ſua transfigura-

guratione in monte Tabor comites habuit, ut quibus ſuam oſtenderat gloriam, ſuæ quoque nunc faceret conſcios paſſionis. Conſidera inſuper, quia ter oravit pius Jeſus, & tribus diverſis locis, ſic & tribus vicibus tentatus fuit. Ibique (ut fertur) adhuc manent veſtigia Eccleſiarum, quę in ipſis locis poſtmodum conſtructę fuerunt. Sed intuere in mitiſſimo Jeſu, manſuetudinem piam, quia quantò magis appropinquat ad mortem, tantò magis oſtendit ſui cordis dulcedinem, & bonus paſtor vigilat ſuper cuſtodiam gregis ſui, non tantum ſibi ipſi intendit, ut fratrum obliviſcatur. O grandis amor, verè pius, & bonus paſtor in finem dilexit eos, cum in tanta poſitus agonia, illo modico tempore, eorum quietem ſollicitus procurare fuerit; attende quoque, quomodo Dominus humiliter orat, nam flexis genibus, & in faciem ſuam procidens, oſtendit quippè humillimus Dominus habitu corporis humilitatem mentis. O grandis humilitas, quia cũ Deo ęqualis exiſtat coæternus; proſtratus tamen ad terram, orat ad Patrem, ut quilibet homũcio, & non ſuam, ſed Patris fieri poſtulat voluntatem. Sed intuere, ò anima mea Chriſtum Jeſum orãtem factum in agonia, & de corpore illo ſacratiſſimo guttas ſanguineas emittentem, nec ſine lachrymis, & viſcerum commotione, teneraque compaſſione iſta conſideres, &

ſecum lachrymans, & ſuſpirans, dicas. O delicatiſſime Jeſu, quanta te cerno anxietate compreſſum, ut ſudor ſanguineus de carne illa ſacratiſſima fluat. O facies ſpecioſiſſima, in qua deſiderant Angeli proſpicere, quàm rubicunda, & madida effecta es? Quid dicam? quid faciam bone Jeſu? Equidem cor habeo ferreum, & lapideum, ut molle fieri nequeat. Itaut in tuarum paſſionum, & acerbarum anguſtiarum meditatione liqueſcat; heu me miſerum, & ingratum! Quæ mihi inerit excuſatio amantiſſime Domine? Si dixero, quòd in me illas tuæ paſſionis pœnas acerbiſſimas corporeis oculis non aſpexi, quæ ſi occulta fide vidiſſem, facilius poſſem compaſſione moveri. Si enim tu Domine pœnas illas, quas nondum in corpore tuo actualiter ſenſeras, eas præmeditando, ſic affligebaris, ut earum pavore perterritus, guttas funderes cruenti ſudoris, cur non ego lachrymis perfuſus, totus in meipſo deficio, cum pœnas, & opprobria, quæ te ſuſtinuiſſe acriter ſcio, mecum mente revolvo: Sed pie Domine ſcio, quòd nihil ſine te facere valeo.

Igitur miſerere mei bone Jeſu, & da mihi fontem lachrymarum, & tuæ paſſionis pœnas ſic imprime menti meæ, ut quæcunque alia cogitare, & laborioſum, & inutile videatur. Trahe me dulcis Domine ad hortum tuum, ut illas tuas ſuaviſſimas guttas lambam, & pedum tuo-

rum

rum pulverem lingam. Quis tibi non compatiatur bone Jeſu, dum guttas illas ſanguineas de fronte illa ſereniſſima, & genis pretioſiſſimis, ac de tuo corpore decurrentes aſpiciat? Compatere anima mea anguſtiato Jeſu, quia non eſt, qui adjuvet eum, non eſt qui tergat faciem illam madidam, qui mutatorias veſtes præbeat ei, & eas exuat ſic ſanguinolentas. Jam enim ſanguis gelabitur, & ſudor, qui calidus exiit, frigidus efficietur, & non eſt, qui tergat corpus Domini mei, & veſtes mutatorias paret; imitare igitur, ò anima mea benignum Jeſum, ut flexis genibus coram eo tuam orationem pronuncies, & loco ſudoris ipſius, funde lachrymas compaſſionis, & exultationis, quas ſi habere non vales, recurre ad dulcem Jeſum in horto orantem, & illo pretioſo ſudore madefacias vultum tuum, & tunc flabit ſpiritus Jeſu, & fluent aquæ. Sed mirare, & conſidera orationis ipſius finem, quia humiliter orans, tandem ab Angelo confortatur, in hoc paulominùs minoratus ab eo, & reverenter ab eo conſolationem ſuſcepit. Apparuit autem, ut demonſtraret, quod orantibus nobis aſſiſtunt Angeli, & tribulatos in oratione confortant, juxtà illud. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificàverunt animam meam. Adſunt ergo orantibus nobis Angeli. Undè & in pſalmo: Præ-

venerunt Principes conjuncti pſallentibus, in medio invencularum timpaniſtriarum. Et orationes noſtras defferunt coram Deo; undè & Angelus Tobiæ dixit. Cum enim orabas, ego orationem tuam obtuli coram Deo; vides quoque, quòd licet non ſemper fiat, quod in oratione petitur, quia fortè non expedit, conſolatio tamen angelica non deeſt. Inſuper diſce exemplo pii Jeſu, patientiam habere, ſi ſtatim non exaudiaris. Ipſe etenim tribus oravit vicibus, antequam conſolationem, & reſponſionem à Patre reciperet. Denique conſidera ſuaviſſimum Dominum, cum ſurgit ab oratione, ut ad Diſcipulos veniat, quia vultum illum angelicum ſibi lavat in torrente, vel veſtibus ſuis tergit, venitque ad Diſcipulos ſuos, & dicit eis. Dormite jam, & requieſcite: Ecce appropinquabit, qui me tradet: hæc tù, ò piiſſime Domine, ut tibi ſic afflicto compatiar, & te orantem imitari valeam, per tuam benigniſſimam miſericordiam mihi præſta.

Meditatio quomodo ſurgens Dominus Jeſus ab oratione, venit obviam Judę, & de turbis venientibus ipſum comprehendere, & quomodo captus fuit, & abſciſione auriculæ facta per Petrum.

CUm loqueretur benigniſſimus Magiſter cum charis Diſcipulis, eoſque

de

de ſomnolentia increparet; ecce Judas à longè adveniens, habens ſecum cohortem, & turbam miniſtrorum, quam acceperat à Principibus, & Phariſæis, Senioribus, & Scribis, & verſus Jeſum properabant cum gladiis, & fuſtibus, lanternis, & facibus; ipſe verò proditor antecedebat eos; verum quia ſecum etiam adduxerat Romanorum milites, qui Chriſtum non cognoſcebant, quia etiam Jacobus minor Chriſto in facie omninò ſimilimus erat, propter quod ſpecialiter & frater Domini dicebatur. Ideo ne loco benedicti Jeſu, Jacobum, aut alium caperent, dedit eis ſignum, dicens. Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè, quia ſagax eſt, & facilè de manibus veſtris effugeret. Noverat quidem, quomodo ſępius de manibus eorum ſe abſcõderat. Jeſus autem, ut eos ad ſe venientes aſpexit, proceſſit, & obviam eis tendit. Tunc ad Judam dirigit ſermonem, dicens. Amice, ad quid veniſti? Tunc proditor nequiſſimus ſe amicum ſimulans, ait. Non ſum ego cum iſtis armatis, ſed more ſolito rediens, te ſaluto, & dico ave rabi; & oſculatus eſt Jeſum. Ad quem Jeſus: Juda oſculo Filium hominis tradis? Ipſe quippe proditor nefarius ne cum ipſis eſſe videretur, antecedebat eos, moxque cum & miniſtri ſuperveniſſent, Jeſus converſus ad eos, ait: Quem quæritis? At illi reſponderunt: Jeſum Na-

zarenum. Dicit ei Jeſus: Ego ſum. Quo verbo prolato, ſtatim illi abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Iterum eos interrogavit: quem quæritis? Qui & reſponderunt: Jeſum Nazarenum. Et pius Jeſus ad eos: Dixi vobis, quia ego ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire, ut impleatur ſermo, quem dixit: quia, quos dediſti mihi, nõ perdidi ex eis quemquam. Igitur juſſu piiſſimi Jeſu ſurgentes perfidi miniſtri, manus in ipſum ſurenti impetu injecerunt, & tenuerunt eum. O gens maledicta, quomodo non vos terruit tanti miraculi viſio, ut manus retraheretis ab ipſo? Tunc Diſcipuli territi, velut amentes, videntes Magiſtrum ſuum capi, dixerunt. Vis ut te adjuvemus, te defendemus, & hos tuos invaſores percutiamus gladio? Petrus autem ejus reſponſum non expectans, plenus fervore exemit gladium, & percuſſit ſervum Pontificis, cui nomen erat Malchus, & abſcidit auriculam ejus dexteram. Licet enim Jeſus Petro, & aliis Diſcipulis prius præcepiſſet: Si quis te in unam maxillam percuſſerit, præbe ei alteram; ex ſermone tamen, quem ipſe benignus Jeſus poſt cœnam fecit: Petrus in tantum amorem exarſerat, quòd de illo præcepto non recolens, Magiſtrum ſuum gladio defendere ſatagebat. Ait autem Dominus ad eum. Converte gladium tuum in locum ſuum. Omnes enim, qui acceperint gladium,

gla-

gladio peribunt. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum? An putas, quod non poſſum rogare Patrem meum, & ipſe exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri? Cumque vellent miniſtri comprehendere Petrum, ait illis Jeſus. Sinite uſque huc, & tangens ejus auriculam, ſanavit eum. Converſus autem Jeſus ad Principes Sacerdotum, & Magiſtratus Templi, & Seniores, & ad turbam, qui ad ſe venerant, ait illis. Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus comprehendere me. Quotidie, apud vos ſedebam docens in Templo, & non me tenuiſtis. Sed hęc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Hæc ſic breviter deſcripſimus, ò anima mea, circa facti ſeriem de captura dulciſſimi Jeſu. Nunc omnia diſcutemus paululum, & devotè meditemur ſingula, repenſando ſi quid fortaſſis occurrat, quomodo pie Jeſu compati valeamus: hoc autem mihi ſe offert, ut tibi compatiar, ò bone Jeſu, quod à Diſcipulo ſic doloſè proditus fueris, qui dux tuus erat, & notus tuus, qui ſimul tecum dulces capiebat cibos. Quomodo hic tacebimus, ò anima mea, quin acriter contra hunc proditorem perfidum inſultemus, & durè, atque aſperrimè inubeamur? O proditor nequiſſime, ingrate, pertinax, & obſtinate, fili Diaboli, fili

perditionis, cor habens induratum, quomodo unquam ad tantam es deductus veſaniam, quomodo adeo ſeduci potuiſti, ut manſuetiſſimum Magiſtrum tuum, & Dominum meum ſic turpiter, ſic crudeliter traderes? Multa quippè luculenter inſpicio, quorum quodlibet de per ſe ſufficere debuerat, ut quamvis pravum, & iniquum propoſitum Diabolus ſeminaſſet tibi in mente, & ut Dominum meum traderes ſugeſſiſſet; reſilere tamen debueras ab eo, quod iniquè conceperas. O inſane, & demens, tù quæris occidere immortalem Dominum, qui eſt veritas, & vita, qui mortificat, & vivificat, deducit ad Inferos, & reducit, morte perimere. Dic queſo inſenſate nequam Nonne & tù cum ceteris aderas, cum Domino Jeſu, quando puellam defunctam, quando filium Reguli, quando Lazarum à mortuis ſuſcitavit, quando leproſos mundavit, ſanavit paraliticum, dæmoniacos liberavit, cœcum à nativitate videre fecit, & aliis plurimis viſum reſtituit? Dic oro, potuiſſet ne hæc ſigna facere, niſi Deus cum illo fuiſſet? Quomodo ex his non deprehendebas, quòd Filius Dei erat? Ubi eras cum univerſam turbam modicis panibus, & paucis piſcibus bina vice ſaturavit? Sed ut hæc prætermittamus, quomodo non te moverunt, quæ erga te fecit? Recordare impiiſſime carnifex, & ingrate, quomodo humilis Magiſter pedes

tuos

tuos lavit; quomodo poſt hoc ſacratiſſimum ſuum corpus,& ſanguinem tibi tradidit,ſicut & ceteris Apoſtolis. Attende ingrate, & immaniſſime proditor, quomodo pius Jeſus pluries te admonuit, ut à pravo reſilires propoſito; oſtendit namque ſe clarè cognoſcere, quod erga ipſum conceperas, & modis, quibus poterat, ſtudebat revocare, dicens. Primo cum omnes laviſſet Diſcipulos: vos mundi eſtis, ſed non omnes. Et iterum: Non de omnibus vobis dico. Ego ſcio quos elegerim. Item, nonne ſatis tibi indicavit in menſa, nolens te tamen publicè arguere,cum ait. Unus ex vobis me traditurus eſt. Et cum nec propter hæc verba deſiſtere velles, reſtrictius te reprehendit, inquiens. Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino,me tradet; cum forte tunc pauci forent, qui illo inſtanti manus intingerent. Verum, cum dixit: fac citius, quod facturus es; numquid non clarè cernebas, quomodo tui ſecreta cordis penitus cognoſcebat? Quis enim niſi Deus occulta cordis cognoſcere poterat? Sed ò indurate, & obſtinate proditor, non te iſta movere potuerunt. Sed cur ſaltem non te movit, ò rabide canis,cum te accedere volentem ad oſculum oris ſui, non avertit faciem, ſed inquit. Amice, ad quid veniſti? Et demum: Juda oſculo Filium hominis tradis. Moxque os illud delicatiſſimum, in quo dolus non eſt in-

ventus ori, quod abundavit malitiá, dulciter applicuit. O innocens agne Dei, quid tibi & lupo illi? Quæ conventio Chriſti ad belial? O grandis humilitas, excelſa manſuetudo, & ſumma benignitas manſuetiſſimi Jeſu! Amicum vocat proditorem, qui ad perdendum venerat. Omnia ſibi exhibuiſti, ò pie Jeſu, quę pravi cordis ſui pertinaciam emolire potuiſſent. Sed ſceleratus proditor lætale oſculum præbet dulci Magiſtro, qui ipſum in gehenna ignis perpetuò damnabit. Et quod pacis, atque amicitiæ ſignum ſolet eſſe in mortis, ac pernitiei, retrorſit ſignum.

O dulciſſime Jeſu, à me indigniſſimo ſervo tuo amove hujuſmodi dira mortis oſcula, & tua benigna clementia præbe, ut dulcia tibi dilectionis, & amoris oſcula figam, ut dicere tibi poſſit anima mea. Oſculeris me oſculo oris tui. Feſtina, & ſtude. O anima mea, accedere ad oſculum dulcis Jeſu. Sed ad pedes ipſius prius oſculum perge. Non tibi ille locus vilis, aut deſpicibilis, videatur ubi ſancta Peccatrix peccata depoſuit, & induit ſanctitatem. Defleas cum Maria amarè ad pedes piiſſimi Jeſu, & de intimis viſceribus longa trahas ſuſpiria. Proſternere ad terram, ò anima mea miſerrima, ut deſinas eſſe miſera. Amplectere pedes Jeſu, oſculis placa, & lachrymis riga, quibus tamen non illum laves, ſed te & fias una de grege con-

ge tonſarum, quæ aſcenderunt de lavacro, ut tù merearis audire: dimittuntur tibi peccata tua; audias quoque: conſurge, conſurge captiva filia Syon, conſurge, excutere de pulvere. Eya, ò anima mea, cum ad pedes Domini prociderimus, & ploraverimus coram Domino, qui fecit nos, ſurgamus manus ejus oſculantes. Tunc oſculamur manum, cum de accepto dono non nobis, ſed Domino gloriam exhibemus. Ille quippe manus Domini me de ſtercore eriget in ſpem audendi potiora: hæc nunquam ſunt continentiæ decor, digni pœnitentiæ fructus, & de Jeſu dono acquiſitæ virtutes. Pro his pietatis operibus, gratias agas Deo, & manum ipſius oſculare. Denique poſt hæc duo oſcula, ad tertium oris oſculum audebis aſſurgere, ad contemplandam ſcilicet Conditoris gloriam, quia ſpiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus, cui adhærentes in oſculo ſancto unus ſpiritus dignatione ipſius efficimur. Tibi Domine Jeſu, tibi meritò dixit cor meum, exquiſivit te facies mea faciem tuam Domine requiram. Nempè auditam mihi feciſti mane miſericordiam tuam, cum jacenti primum in pulvere, tuaque oſculanti veneranda veſtigia, quod malè vixeram, remiſiſti. Porro in progreſſu diei lætificaſti animam ſervi tui, cum demum in oſculo manus etiam benè vivendi gratiam indulſiſti. Et nunc quid reſtat, ò bone Je-

ne Jeſu, niſi jam, ut in plenitudine lucis, in fervore ſpiritus, ad oris quoque oſculum dignanter admittens adimpleas me lætitia cum vultu tuo? Indica mihi, ô ſuaviſſime, ô ſereniſſime, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ut ad te veniam, bone Jeſu, quia tunc ſatiabor, cum apparuerit gloria tua: hæc de oſculo dicta ſufficiant.

Nunc revertamur ad noſtrum Jeſum in oſculo traditum. Scrutemur inſuper, ô anima mea, ſi quid devotum occurrat, quo Domino Jeſu compati valeamus. Et quidem non prætereundum videtur, quomodo ferventem Petri notemus amorem. Qui enim dum caperetur Dominus, præ ceteris ſignum dilectionis oſtendit, præ ceteris eſt notandus. Quippe de eo dicitur, quod habens gladium, exemit illum, & percuſſit Pontificis ſervum, & abſcidit auriculam ejus. O Princeps glorioſe, tu quidem, quia Magiſtrum tuum tenerrimè diligebas, jam certè periculo mortis te exponis. Et quod verbis promiſeras, factis exequeris, paratum ſcilicet te in mortem, & in carcerem ire cum pio Magiſtro, & animam tuam pro ipſo ponere; heu conſpice, ô anima mea, quomodo Petrus diligebat Jeſum. Nonne grandis fuit audacia? veteranum hominem, inermem, & armorum penitus inexpertum, adverſus armatam turbam parvulo gladio inſultum facere. Petrus quippe, ut arbitror, cum aurem abſcidit Malchi, gla-

gladium in ejus caput vibraverat, ut in ipſo lætale vulnus infligeret, ſed fortuitu evenit, ut ad aurem gladius ipſe deſcenderet: & niſi ſancitum fuiſſet ſermonem impleri, dicentem. Quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Petrus pro illo exceſſu in carcerem miſſus, & morte damnatus, & forte in eodem loco gladio interemptus eſſet. Quid quæſo, ò anima mea tantam præſtabat audaciam Petro, niſi amor dilecti Magiſtri. Ferre nequaquam poterat, quod dilectus Magiſter ſic vituperosè caperetur. O quàm fortis eſt, ut mors dilectio, ſed jam tandem ad te revertens ſermonem: ò mitiſſime Jeſu, oro benignitatem tuam, amorem hunc cordi meo inſere, ut te toto corde, tota mente diligam, ut ardenti amoris tui accenſus deſiderio, ex corde, & animo dicere valeam, paratus ſum non ſolum alligari, ſed & mori in Hieruſalem pro nomine Domini Jeſu, qui eſt benedictus in ſæcula.

Meditatio quomodo Dominus Jeſus captus, & ligatus ductus eſt ad domum Annæ, ubi alapa percuſſus fuit, & quomodo Diſcipuli omnes fugerunt.

POſtquam nephandiſſimus proditor pium Magiſtrum lætali ſalutavit oſculo. Mox miniſtri Judæorum, qui venerant, ut Jeſum comprehenderent, ma-

nus injecẽtes in manſuetiſſimum Jeſum, tenuerunt, & ligaverunt eum. Et quidem non ultra Evangelium loquitur, niſi quod ligaverunt eum. Sed pium erit, atque devotum cogitare, quàm crudeliter, quàm ignominiosè ab impiis ſatellitibus ligatus extiterit.

Huc igitur accede, ò anima mea, & intimo cordis dolore, lachrymarumque profluvio, & tenera compaſſione iſta meditare, compatiens benigno Jeſu, qui tot convicia, tot verbera pro te ſuſtinuit: hic namque cœpere afflictiones, & verbera inferri illo pretioſiſſimo corpori, quæ & tota nocte hac ſibi minimè defuerunt. O dulciſſime Jeſu, ediſcere mihi contumelias, & terrores, quos paſſus es ab impiis illis, cum te comprehenderunt. Equidem iniqui inſurrexerunt ſuper te Synagoga potentium: quæſierunt animam tuam, & non propoſuerunt Deum in conſpectu ſuo. Crede, ò anima mea, quòd cum perfidis illis data fuit licentia à mitiſſimo Jeſu, omnes impetu furenti irruerunt in eum. Circundederunt eum ſicut Apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, circundederunt eum ſimul. Traditus eſt, & non egrediebatur; oculi ſui languerunt præ inopia. Conſpice devotè, & non ſine lachrymis, ò anima mea quomodo furenter irruentes in eum venerandum illud corpus nephandis manibus apprehenderunt. Alius quidem veſtimenti fimbriam

briam comprehendit. Alius tenet pretioſa illa brachia. Alius inſultat in collum illud eburneum. Alius fulgidos prẽſat crines. Nec mora, timentes, ne ex eorum fugeret manibus, paratam catenam veluti thauro indomito ad macellum trahendo, collo illo delicatiſſimo injecerunt, manus quoque pretioſas dura corda poſt tergum ligantes. O Agne manſuetiſſime; ò Ovis patientiſſima, quàm immaniter, quàm crudeliter, ut latro tractaris? Quis unquam publicus latro, ſic dirè, & ignominiosè tractatus eſt? Sed credo, quod acriora ſuper addidere ſcævi carnifices. Cerno quippe canes illos rabidos ſic ligatum trahentes pium Jeſum impetu furibundo, ſi fortaſſis, ut optabant, non celeri properabat greſſu. Alios video ſequentes eum, & fuſtes vibrantes in terga. Alios poſt ipſum in pedes, & dorſum jactantes lapides. Nonnullos quoque lutum, ac pulverem in venerandam faciem conjicientes. Alios pugnis, & alapis totum illud corpus pretioſiſſimum contundentes. Quid per multa vagor? Omnes inſimul clamoroſis ululatibus convitia inferebant, & inſano ſuccenſi fervore, & verberibus opprobria cumulantes, poſt ſe trahunt innocentiſſimũ Agnum. O qualis compaſſio non ſine magnis ploratibus referenda, videre pium Jeſum, immaculatum Agnum, quomodo ducitur ab illis nequiſſimis de torrente ſurſum verſus
Hie-

Hieruſalem feſtinantes, & cum impetu vehementi manibus ligatis, catena collo impoſita exchlamydatus, tunica non curioſa ſuccinctus, capite diſcoopertus, & curvus fatigatione, & vehementi acceleratione incendens ſic ducitur, ſic attrahitur Dominus meus mitiſſimus, velut innocens ovicula inter famelicos lupos poſita, & obmuteſcens, ac patienter ferens omnia quæcunque volebant, & humiliter ſequebatur. O dulciſſime Jeſu, quid feciſti, quid meruiſti, ut iſta portares? Certè tu nil comiſiſti Domine, niſi quod nimis amaſti, propter me Domine hæc omnia pertuliſti. Ego ille ſum, qui tantorum tormentorum cauſa extiti. Peccavit iniquus, & juſtus punitur; deliquit reus, & innocens tormentatur. Offendit impius, & damnatur pius. O amantiſſime Domine, ego comedi uvam acerbam, & dentes tui obſtupuerunt. Ego ſcelus perpetravi, & tu pœnas exſolviſti. Erubeſce igitur, ô anima mea, plange, & dole, & lachrymis te macta, quia ingrata es, & immemor tantæ dilectionis. O bone Jeſu, quid tibi pro tantis retribuam? Nihil habeo Domine, delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi. Sed tu liberaliſſime Domine ſupple, quod ingratitudini meæ deeſt. Et qui ſolus potes id efficere, gratum facias, ſervulum tuum in te ſperantem, & de tua miſericordia confidentem.

At

At nunc proſequamur ulterius, ò anima mea. Ecce dum pius Jeſus ſic ligatus ducitur, omnes ejus Diſcipuli territi, & de ſe timẽtes, relicto ſuo Domino, & Magiſtro dilecto, fugerunt. Verè tunc dicere poteras, ò dulciſſime Jeſu, qui videbant me, foras fugerunt à me, oblivioni datus ſum, tanquam mortuus à corde. Et iterum elongaſti à me amicum, & proximũ, & notos meos à miſeria, verificatum eſt, quod propheta ille prædixerat. Omnes amici mei dereliquerunt me, & prævaluerunt inſidiantes mihi. Tradidit me, quem diligebam, & terribilibus oculis, plaga percutiens, aceto potabant me. Tù ſic ſolus relictus es benigne Domine, & qui juxta te erant, de longè ſteterunt.

Conſidera hìc, ò anima mea Diſcipulos fugientes, & errantes, dolentes, & mœſtos. Meditare quoque dolentia verba, quæ dicebant, cum Dominum ſuum dilectiſſimum cernerent ad mortem duci. O quales gemitus, quanta ſuſpiria, quantos clamores, quot lachrymas inſimul efferebant? Et ſic clamantes, & triſtes ad cœnaculum, ubi cœnati fuerant, rediere. Adoleſcens autem quidam, qui, ut communiter tenetur, erat Diſcipulus dilectus Joannes, ſequebatur Jeſum amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum. At ille, relicta ſindone, nudus profugit ab eis. Poſtea ad ſe reverſus rediit, & nolens pium Magiſtrum deſerere, ſequebatur

eum.

eum. Petrus quoque ipſum Dominum ſequebatur à longè, & ille Diſcipulus uſque in atrium Principis Sacerdotum, ſcilicet Annæ, in quod Dominum Jeſum ligatum duxerunt. Et quia Diſcipulus ille notus erat Pontifici, introivit in atriũ. Petrus verò extra remanſit, & ſtabat ad hoſtium foris. Exivit ergo Diſcipulus ille, & rogavit hoſtiariam, ut admitteret intrò Petrum, quæ ejus precibus eum introduxit.

Vides, ò anima mea, quomodo hii duo Diſcipuli Dominum ſuum diligebant. Et quidem valdè dilexit Joannes, qui licet territus, in primo inſultu veſtes dimiſerit, nihilominus rediit, & uſque ad ſepulchrum Dominum non dereliquit. Petrus verò, & ſi in initio magna auſus fuiſſet, ut auriculam abſcinderet, territus tamen voce ancillæ, de atrio receſſit, nec amplius rediit, niſi poſt reſurrectionem. Petrus igitur, cum in atrio eſſet, & vidiſſet eum, dixit ad eum. Nunquid & tu ex Diſcipulis es hominis iſtius? Qui reſpondit negans. Mulier, neſcio quid dicis, hicque Petri prima negatio inchoata eſt.

Nunc ad noſtrum Jeſum ligatum revertamur, qui à Judæis nequiſſimis Annę Pontifici præſentatur, de conſenſu forſitan Cayphæ, aut quia ſic eis occurrit, cũ ante domum ipſius tranſitus facerent, vel ut ipſum ſtrictius ligarent.

Erat autem Anna ſocer Cayphæ, qui

erat Pontifex illius anni. Nunc intuere, ò anima mea devotè Agnum innocentiſſimum, ſtantem rectis pedibus, & dimiſſis oculis coram Pontifice. Pontifex igitur interrogavit eum, & de Diſcipulis ſuis, & de doctrina ejus. At pius Jeſus de Diſcipulis nil reſpondit, quia ab ipſo fugerant, & id ſolum dicere poterat: Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. De ſecundo verbo reſpondit. Ego palam locutus ſum mundo. Ego ſemper docui in Synagoga, & in Templo, in quo Judæi conveniunt, & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid locutus ſum ipſis. Ecce hii ſciunt, quid dixerim ego: Hæc autem cum dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum Malchus, ſcilicet cui abſciſſam auriculam reſtituerat, dedit alapam Jeſu, dicens. Sic reſpondes Pontifici?

Attende hic, ò anima mea, & non ſine lachrymis prætereas ictum iſtum in faciem dulcis Jeſu datum, & ipſius mirabilem conſidera patientiam. Non enim ex hac percuſſione ad exaſperationem perductus extitit, vel ad iram, non verbis, aut ſignis commotum ſe fore monſtravit: Non eſt mente turbatus, nec injurianti ſibi, adverſum aliquid evenire optavit, ſed patientiſſimus Agnus humiliter reſpondit, dicens voce ſubmiſſa, & dulciſſima. Amice, ſi malè locutus ſum, teſti-

monium perhibe de malo; ſi autem benè, quid me cędis? O quanta fuit patientia tua bone Jeſu in omnibus ſempēr uſque ad mortem! Non ſic reſpondit pius Jeſus, ut illatam ſibi injuriam, moleſtè ferret, ſed ad ſui injuriantis correctionem, & licet mandaverit ipſe, percutienti unam maxillam, alteram debere præberi, non voluit, ut facto ſic fieret, ſed ut paratus exhibeatur animus ad ſuſtinendum percuſſionem alteram, ſi contingat. Sed ò impiiſſime carnifex, & recepti beneficii immemor, & ingratus. Equidem ſi noſces, quem in faciem percuſſiſti, tu ipſe ſeverus ultor exiſteres, & manum ipſam facinoris hujus autorem igne cremares. Ecce, ò dulcis Jeſu, quanta mihi ſe offerunt, ut tibi compatiar, quæ pro me portaſti. Sic pro me turpiter captus, ligatus, attractus, afflictus, & concuſſus. Sed precor te bone Jeſu, ut ſicut pro mei amore captivum te prębuiſti Judæis, ità tribue mihi, ut omnes ſenſus meos captivem in obſequium tuum, ut juxtà Apoſtolum, in captivitatem redigam omnem intellectum in obſequium tuum.

Medi-

Meditatio, quomodo Dominus Jeſus à domo Annæ ad domum Caiphę ductus eſt. Et de deriſionibus, conviciis, & flagellis ſibi ibidem illatis per Judæos.

EXpergiſcere nunc, ò anima mea, excute torporem, pelle ſegnitiem omnem, & totam te converte ad dulciſſimũ Jeſum tuum, deſpectum, & irriſum, afflictum, & flagellatum. Quomodo de cętero ſine triſtitia poteris manere, quia deinceps in languoribus, & afflictionibus verberibus, & convitiis reperies Dominum Deum tuum. Nam fuit flagellatus tota die, & caſtigatio ſua in matutinis. Caligent ergo oculi tui à fletu, nec taceat pupilla oculorum tuorum, ſed continuè exitus aquarum deducant oculi tui. Recedant igitur multiformes cogitationes, & varia phantaſmata, quibus mens diſtrahitur. O benigniſſime Domine Jeſu, & in ſeipſa conſiſtens, tota reflectatur ad te. Cogitet contumelias, convitia, & verbera, quæ in manibus impiorum poſitus Sacerdotum, tanquam ovis inter urſos, & leones conſtituta perpeſſus es. Et præbe dulcis Domine, ut dum hæc mente revolvo, totus in meipſo deficiam, & tibi compatiens ſic afflicto dolore langueam. Denique meditemur devotè, ò anima mea, quomodo pius Jeſus, dum alapa in domo Annæ percuſſus fuiſſet, miſit eum Annas liga-

ligatum ad Cayphàm Pontificem. Nunc igitur conſpice, dum Agnus innocentiſſimus per truculentos illos carnifices manibus ligatus, & catena in collo connexa duceretur, ſcævi illi Pontifices, & Phariſæi ibidem congregati, tanquam famelici canes, carnibus pii Jeſu ſaturari cupientes, irruentes in eum impetu furenti, cum ibi adductus fuiſſet manibus, & pedibus impellentes, ſummo Sacerdoti reſidenti ſuper pontificali ſolio præſentarunt.

Nunc intuere, ò anima mea, dilectum tuum ceruleo capite, oculis in terram dimiſſis, pedibus ſuis aſtantem, ligatis manibus, coram Pontifice conſtitutum, Scribarum, & Phariſæorum turba copioſa vallatum, clamitant omnes, fremit turba illa ſeviſſima, multa ſibi falſa objicientes. Inſurrexerunt in eum teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi, cumque multi teſtes contra ipſum multa deponerent, & convenientia teſtimonia non exiſterent, noviſſimè duo venerunt teſtes, dicentes. Nos audivimus eum, dicentem. Poſſum deſtruere Templum Dei, & poſt triduum illud reædificare. Omnes quoque ſimul rugientes clamoroſis vocibus velut leones in oviculam rugientes, & verba contumelioſa jactantes, impetum in eum unanimiter faciebant. Dicere quidem potes, ò Domine Jeſu, quod de te Propheta dixit. Tradiderunt me in manibus impiorum, & inter iniquos projecerunt

cerunt me, & non pepercerunt animæ meæ, congregati ſunt adverſum me fortes, & ſicut gigantes ſteterunt contra me. O mira patientia manſuetiſſimi Agni, nam ſurdus in omnibus obmuteſcit, ob cuius taciturnitatem indignatus ſummus Sacerdos, invehens in eum, & ſurgens, dixit. Nihil reſpondes ad ea, quæ tibi objiciuntur ab hiis?

Attende, ò anima mea grandem dulcis Jeſu manſuetudinem, vide quàm patientem, quàm humilimè contra oblatrantes canes, ſervat ſilentium, nec verbum reſpondet, ſed velut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Quæ falsò ei objiciuntur, humiliter ſuſtinet, nec reſpondit quicquam, quia eos nequaquam dignos ſua reſponſione putavit. Tunc canes illi ferociſſimi ex taciturnitate Jeſu magis exardeſcentes ex furore, & ad iracundiam concitati, impetuoſis clamoribus in ipſum irruebant. O quoties, ut arbitror, in hæc contumelioſa, vel ſimilia prorumpebant verba. Non habes linguam, ò latro impiiſſime? En mutus, & elinguis effectus es? Quo nunc abiit tua crebra loquacitas, qua turbas tibi faventes, & populos ſequentes per Templa, vicos, & compita imbuebas? Tunc multum loquax, & clamoroſus extiteras cum turbæ ſequebantur te, & eas per Civitates, & Caſtella, & loca deſerta ducebas. Nun-

quid non tù ille es, qui populis in Templo prolixos ediſerens ſermones,nos Phariſæos, legis Doctores, & Principes, ſic audacter, ſic temere arguebas, nos vocans hypocritas, & multiplicia inferens opprobria? Ecce nunc tibi digna præmia rependimus, jam etenim non ſunt indoctæ turbæ, & rudes homuntiones, in quibus habebas fiduciam, quoſque tuis blandis, ac ſubdolis ſermonibus ſeducebas, hæc verba, & alia quàm plurima ſimilia, & acriora in Agnum manſuetiſſimum conjicientes, facta verbis addebant. Et velut amentes furenti impetu manibus, & pedibus in ipſum inſiliebant. Circundantes circundederunt eum, & verberibus opprobria cumulabant. Alii quidem dextras elevantes omni, quo poterant conatu, venerandam illam, & ſacratiſſimam faciem contundebant, alii colaphis eum cedebant, & collum ſuum ſpecioſum percutiebant. O miranda Domini mei deriſio! Solent quidem in collo percuti fatui, & deſpicabiles perſonæ. Ad majorem igitur deriſum, benedictum Jeſum in collo cędebant. Alii verò imundiſſimis ſputis vultum angelicum deturpabant, nec ſolum ſimplicibus ſalivę ſputis, ſed excreationibus ſuis fœtidiſſimis. O res horrida dictu! Quid turpius? Quid deſpectius, quàm in faciem expuere? Illam ſanè faciem, in quam deſiderant Angeli proſpicere. Jam impletum in eo appa-

apparet illud Prophetæ vaticinium. Faciem meam non averti à confuſione ſputorum. Prændebant alii crines illos conſpicuos ab humeris ventillantes, & barbam fulgentiſſimam, atque ex cute illa pretioſa, & ſplendidis genis evellabant. Alii totum corpus hinc indè trahebant, & ad omnem verſantes partem, nunc ſurſum levabant, nunc deorſum præcipitabant. Modò verò pedibus, ac pugnis totum concutientes in terram dejiciebant. Invehunt certatim in eum omnes, velut immites lupi in ovem mitiſſimam, & verberibus ignominioſa verba miſcentes, totum fatigant, & ſauciant totum glorioſum corpus. Nonnunquam verò ipſum in ſede reponunt, & ſuperpoſito velo oculos pretioſos tegunt, & dantes in ejus faciem duriſſimas alapas, inquiunt. Prophetiza nobis, ò Chriſte, qui Propheta à gentibus vocabaris, qui eſt, qui te percuſſit. Crede quidem, quòd ſæpius ex vehementibus palmarum ictibus, nunc ex ore, nunc ex naribus delicatis violentum ſanguinem evomebat. O dulciſſime Jeſu, quàm acerba, quam terrifica ſunt iſta, quæ audio: heu mihi pie Jeſu. Cur non totus deficio? Cur non deficit anima mea in dolore, & oculi mei in gemitibus, dum iſta pertracto? Venite lachrymæ meæ ab intimo cordis fonte defluite, obruite oculos meos veſtro imbre copioſo. O cor meum lapideum, cur non ſcinderis?

heu me miſerum, quia Dominus meus innocens pro me culpabili tot portat opprobria, & ego ingratiſſimus nequaquam eidem compatior. Miſerere mihi clemẽtiſſime Domine, quia omnia iſta conſidero, mente ſępius verſo, ſed præ inopia dilectionis, non ſentio, & præ ariditate non guſto; vulnera igitur cor meum pie Jeſu, ut tecum doleam, tecum contriſter, & tibi compatiar; ecce enim tibi meritò compatiendum fateor. Quid enim feciſti? quid meruiſti? ut tot contumelias patiaris? Tù es factus deriſio, & opprobrium hominum, & abjectio plebis. A ſæculo non eſt auditum, quòd nephandum homo, aut ſceleratiſſimus quiſquam, ſic viliter tractaretur. Et quarè dulcis Domine tanta ſuſtines? Nempe pro me. Quid igitur tibi retribuam pro omnibus, quæ feciſti mihi. Vhę mihi ingratiſſimo, nam ego deliqui, & tu tormentis ſubjiceris, perpetravi delictum, & tù pœnas luis. Ego ſuperbus fui, & tù humiliaris. Ego fruor delitiis, & tù totus verberibus, & convitiis cruciaris: heu me infœliciſſimum. Cur non plango? Cur non pectus manibus pulſo, & ſingultibus rumpor? De te enim audio, pie Domine tot, & tanta, quibus quidem compaſſione deberent ſaxa moveri. Sed miſerere mihi bone Jeſu, & adjuva infirmitatem meam, & adauge exiguitatem doloris mei. Sed jam ad noſtrum benedictum Jeſum in mani-

bus

bus frementium, & rabidorum canum poſitum, revertamur, ubi igitur ſcæviſſimi Sacerdotes, jam ſaturi de carnibus patientiſſimi Jeſu fuere laſſati, dixerunt ad invicem. Quid de hoc homine faciemus? Magna adhuc pars nocturni temporis ſupereſt. Si libet, unuſquiſque ad domos redeamus proprias, quouſque dies illuceſcere cœperit, & ſinguli mente recogitent, qua pœna hunc feriamus maleficum. Tunc aliqui ex Miniſtris armatis advocantes mitiſſimum Jeſum, totum afflictum, totum ſqualentem, & pallidum, ac livoribus ſaucium, in opaco, & teterrimo carcere, in parte domus inferiori reponi mandaverunt, atque ad columnam quãdam rectè, tenaciſſime, & fortiter colligari. Nonnullos quoque ex illis diris carnificibus, ad ejus deputaverunt cuſtodiam. Hiſque peractis, unuſquiſque ad propria rediere. Heu, heu bone Jeſu, quia poſuerunt te in lacu inferiori, in tenebroſis, & in umbra mortis. O quales ſermones putas fuerint, quos abeuntes illi crudeliſſimi ad invicem loquebantur, nunc diviſi, nunc inſimul juncti bini, aut terni. Equidem, ut arbitror funerei, & lætales fuerunt, ſermones de perimendo ſcilicet Dominum Jeſum. Hoc intra ſe ſolummodo cogitabant, hæc eorum colloquia erant, obliti erant ſomni, & quietis: tanta erat perpendi cupiditas, ut labor eis non eſſet, noctem illam inſomnem

protrahere. Sed hic ſiſte, ò anima mea, & cum magna cordis compaſſione, & effuſione lachrymarum uberrima conſpice dilectiſſimum Jeſum tuum ad columnam ligatum, manibuſque poſt tergum ligatis, ſuper frigida, & humenti terra, intuere faciem illam ſanctiſſimam ſputis, & pulvere deturpatam, circuierunt eum canes illi ſpurciſſimi, ad ejus cuſtodiam poſiti, ipſum multipliciter deridentes, & conviitiis exagitantes. Solent namque tales, ut potè vini portatores, ſimilia facere. Et nunc illud Pſalmiſtæ impletum eſt, adverſum me loquebantur, qui ſedebant in porta, & in me pſallebant, qui bibebant vinum, ò dulcis Jeſu in cõſpectu tuo ſunt omnes, qui tribulant te. Improperium expectavit cor tuum, & miſeriam. Conſideraque, ò anima mea in his opprobriis Dominum verecundum, & in deriſionibus, ac afflictionibus patientem, vultum ſemper dimiſſum ad terram habentem, & ſilentem ad omnia, tanquam verè eſſet deprehenſus in culpa, & mira cordis contitione compatere benigno Jeſu. O bone Jeſu, ò benigniſſime Domine, quantis te afflictionibus, & contumeliis oppreſſum cerno, attritum, & concuſſum pugnis, & colaphis, & præ dolore, & ſomno caput erectum tenere nõ valentem, ſed inclinantem, nec habentem, ubi reclinet. O dulcis Jeſu trahe me ad te, ut quieſcat caput tuum ſuper humerum meum

meum Jeſu ſuaviſſime, qui ſic blaſphemari, & conſpui, & derideri voluiſti, tribue mihi, ut tui amoris igne accenſus, flagellari, & mori pro tui nominis gloria non formidem.

Meditatio de trina Petri abnegatione facta in domo Cayphæ, & de ejus fletu pro dicta negatione.

NUnc divertamur ad Petrum ſtantem in atrio Pontificis. Dum pius Jeſus convitiis, & verberibus affligeretur. Dum enim ipſe Dominus Jeſus à domo Annæ ad domum Cayphæ duceretur, ſecuti ſunt eum Petrus, & alius ille Diſcipulus, qui & huic Pontifici ſimiliter notus erat, quique Petrum introduxit. Cum igitur Petrus ſtaret deorſum in atrio cum Miniſtris ad ignem, vidiſſetque eum Ancilla quædam, ait hiis, qui ibi aderant. Et hic erat cum Jeſu Nazareno; ſtatimque alius homo ibi exiſtens, ſubjunxit. Verè & tù de illis es. Petrus verò reſpondit cum juramento, quia non noverat hominem; & mox Gallus cantavit. Hæcque ſecunda negatio Petri. Poſt puſillum verò intervallo facto, quaſi unius horæ, acceſſerunt, qui ſtabant, & dixerunt Petro. Verè & tù ex illis es. Nam & Galilæus es, & loquela tua te manifeſtum facit. Dixit unus ex ſervis Pontificis cognatus ejus, cujus abſcidit Petrus auricu-

lam, non ne ego te vidi in horto cum illo? Petrus verò tunc cœpit deteſtari, anathematizare, & jurare, quia neſcio hominem iſtum, quem dicis. Et continuò adhuc illo loquente, cantavit Gallus: Dominus verò, qui ſurſum erat in manibus impiorum, converſus deorſum, reſpexit Petrum. Tunc recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Jeſus, & egreſſus foras, flevit amarè.

Nunc prædicta omnia de Petro ſingulariter diſcutiamus. Conſidera, ò anima mea ferventem Petri amorem, & ejus fragilitatem. Verè equidem ſuum Dominum diligebat, quia ſe paratum ſecum offerebat ire in carcerem, & in mortem, & amoris ſtimulatus ardore mortis, ſe ſubmiſit periculo, cũ abſcidit auriculam ſervi. Vide quoque grande dilectionis inditium, quia cum cęteri fugerent, ipſe cum alio Diſcipulo ſequebatur eum, licet à longè. Sed tamen unius mulieris voce perterritus, negavit Magiſtrum; unde hoc non aliundè arbitror, niſi quod primò cum magna audebat, cum ſuo Jeſu erat, & ideò grandia præſumebat. Sed cum ab eo extitit ſeparatus, decrevit calor ille, quod patet, quia ad ignem ſtabat. Deficiente namque calore intrinſeco, ad extrinſecum ſe vertebat. Dum ſui præſentia fruebatur, & nihil habebat moleſtum, multa præſumebat. Ingreſſus verò domum Pontificis, ubi flagella, & tribulatio-

lationes inferebantur, omnes amiſit vires. Diſce & tù, ò anima mea exemplo Petri, Jeſum ferventi amore diligere, ſic tamen, ut quodcunque turbulentum emerſerit, non te ſeparet ab amore dilecti Jeſu. Sed dicas cum Apoſtolo. Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia? an perſecutio? an fames? Paratus ſum non ſolum alligari, ſed & mori in Hieruſalem pro nomine Domini Jeſu. Diſce quoque exemplo Petri, non ſic prẹſumere de Domini gratia, cum ad nutum cuncta ſucceſſerint, ne accedente tentationis nube, refrigeſcat in te ignis amoris Jeſu. Quamdiu enim tibi ſpirat afflatus pii Jeſu, quandiu adeſt devotio, ſic ſuſcipe gratiam, ſic delectare in ea, ut tamen non te exiſtimes donum Dei jure hæreditario poſſidere, ne cum fortè ſubitò retraxerit donum, tù animo concidas, & triſtior quàm oportet, fias. Nec dixeris in abundantia tua, non movebor in æternum, ne cum gemitu cogaris poſtea dicere. Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Sed (ut ait Sapiens) in die malorum non immemor ſis bonorum. Verum, cum te torpore, vel accidia, vel tedio affici ſenſeris, noli propterea diffidere, ſed clama ad Deum, cum defecerit virtus mea, ne me derelinquas. Quod ſi tua infirmitate pium Jeſum negaveris, plange cum Petro, & rememorans paſſionem dilectiſſimi Magiſtri, &

reatum tuum, egredere foras amariſſimè deſlens, ſi quandò te reſpiciat; qui Petrum lachrymantem reſpexit. Quieſce, dole, lachrymare, & diſce cum Petro flere amarè. Et ſi vis mœreri veniam, dilue lachrymis tuam culpam. Geminæ quoque amaricationis, ſcilicet contritionis pro te, & compaſſionis ad Chriſtum, inebrieris abſinthio, ut expiatus cum Petro à reatu ſceleris, replearis cum Petro ſpiritu ſanctitatis. Sed attende anima mea, ubi Petrus negavit Jeſum, quia in atrio Principis, & inter multitudines Miniſtrorum, cum verò flere voluit, exiit foras, quia inter impios pœnitentiam agere non valebat. Diſce & tù exemplo Petri, cum lachrymis vacare volueris, locum ſecretum quærere, & à turba ſecedere. Nunc igitur devotè intuere anima mea Petrum cùm exiit de atrio, & vadit ad locum, ſeu ad foveam, quæ modo Galli cantus vocatur, ibique ex cordis amaritudine deflet, ubi & in memoria fletus ſui ædificata eſt Eccleſia ſancti Petri, qui locutus eſt inter montem Syon, & Civitatem Hieruſalem. Et ex tunc Petrus traxit in conſuetudinem, ut ſingulis noctibus ſurgens à primo Gallorum cantu, uſque ad horam matutinam, in oratione perſiſteret pro hac negatione continuè plorans, ita ut facies ejus ex fletu lachrymarum videretur aduſta, ſemperque in ſinu ſuo ſudarium deſerebat, quo fluentes tergebat lachry-

chrymas. Quoties & Gallum cantantem audiebat, aut cum Chriſti negatio in memoriam veniebat, lachrymas continere non valebat. Flebat itaque non tam pro peccato negationis, quàm pro dulcedine ſui Jeſu. Flebat non propter pœnam, ſed quia dilectum negaverat, quod omni moleſto moleſtius ei fuerat. O quàm ſæpius, ut arbitror, flebat, cùm recogitabat bona, quę ſibi Dominus fecerat. Vides quoque, quia ſuo intuitu Dominus Petrum provocavit ad lachrymas, nec mirum quia oculi Domini velut flāma ignis, oculi verò Petri erant ut glacies. O beati oculi tui bone Jeſu, qui ſic calefaciunt cor frigidum, & in amorem tuum accendunt, illuminantque, ut videat homo errorem ſuum. O quam citò gelicidium pectoris liquefaciunt, & in aquas amaritudinis, atque devotionis vertunt. O benigniſſime Jeſu. O miſericordiſſime Domine, miſerere mei, qui pluries te procaciter negavi, voluntate, verbo, vel facto. Reſpiciat me quæſo te, ò dulcis Jeſu oculus tuus, qui te totiens ad vocem Ancillæ procacis, ſcilicet carnis meæ, pravis operibus, conſenſibuſque negavi. Miſerere mei ſuaviſſime Jeſu, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine, quoniam infirmata ſunt oſſa mea, erige me Dominé labentem, niſi etenim me reſpexéris, cum cecidi, ſurgere non valeo, ſine te nihil poſſum, nam & tù ſo-

lus erigis eliſos. Reſpice igitur in me, & miſerere mei, quia unicus, & pauper ſum ego, nec avertas faciem tuam à me, ſed oculi tui in me pauperem reſpiciant. Si enim hoc feceris pie Domine, ad me reverſus plangam, quod erga te comiſi, & per tuam ampliſſimam miſericordiam miſereberis infirmitati meæ, & diriges me in ſemitam rectam, meque exequi facies, quod tuæ placitum fuerit voluntati.

Meditatio, quomodo Pontifices ſummo mane ducentes Jeſum in ſuum conſilium, multiplicia eidem convicia intulerunt. Et poſtea præſentantes eum Pilato, multipliciter accuſarunt; quomodoque Pilatus Jeſum ad Herodem miſit, à quo ſpretus eſt, & fatuus reputatus.

QUia paululum digreſſi ſumus in Petri negatione, nunc revertamur ad pium Jeſum ad columnam ligatum. Sic igitur manſit ibidem pius Jeſus uſque ad diei diluculum, illuceſcente verò die, prout ſancitum fuerat, canes famelici ad domum Cayphæ rediere, & in loco, ubi celebrabant concilium unà cum Caypha, qui concilio præerat. Conveneruntque & inter ſe longis habitis ſermonibus, omnes una voce eum perimendum fore ſanxerunt. Moxque accerſitis nonnullis ex ſatellitibus illis in ſuum cõſilium pius Jeſus jubetur adduci. Nunc intue-

intuere, ò anima mea, quomodo furibundè ab illis nequiſſimis trahitur noſter Jeſus, & eorum præſentatur conſpectui; ò ſuaviſſime Jeſu, quo modo deſpicieris? quomodo vilificaris? proh dolor, ſedet impiorum Pontificum turbà, & Dominus meus ſtat ſuis pedibus ante eos. Sedent ſpurcidiſſimi peccatores, & viliſſimę creaturæ, & Dominus Rex cœli, & terrę, & Creator omnium ſtat rectus in pêdibus. Reſident in ſedibus ſervi, & mercenarii, & Dominus eorum, ac totius mundi propriis pedibus ſuſtentatur. O quanta eſt humilitas tua benigne Jeſu! interrogatur igitur ab eis benedictus Jeſus. Dic nobis ſi filius Dei es? Quibus pius Jeſus eorum ſubdolas cogitationes nòſcens, humili voce reſpondit. Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Tunc illi dixerunt. Tù ergo es filius Dei? Quibus reſpondit Jeſus. Vos dicitis, quia ego ſum, non autem ego. Princeps verò Sacerdotum, quia clarè eis non reſpondebat, vehementi impetu ſurgens de ſolio, ſic loquitur, dicens. Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tù es Chriſtus filius Dei benedicti. Pius verò Jeſus diutiùs nolens ſilere, reſpondit: ego ſum, & Filium hominis videbitis ſedētem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc Princeps ſcidit veſtimenta ſua, dicens: blaſphemavit. Quid vobis

bis videtur? Illi verò impetum unanimiter facientes in eum, manibus, & pedibus, ac pugnis percutientes eundem, crines trahentes, & alapas cumulantes, una voce clamaverunt. Reus eſt mortis. Tollatur omnis mora, & vinctus ducatur ad Pilatum, qui eum Cruce ſuſpendat. Fiat clamor validus, & tota domus Cayphæ clangoribus, & rugitibus repletur; ducitur Agnus mitiſſimus extra concilium, currunt certatim Miniſtri, & ſervi, qui foris aderant, & omnes in illum inſiliunt, verba verbis addentes. O benigniſſime Jeſu, habeo unde tibi meritò compatiar, ingratitudinem meam arguere potes, & dicere. Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam. Et ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inveni. Attrahitur ergo Dominus meus ad prætorium Pilati, præcedunt Pontifices, & crudeles miniſtri, ligatum funibus, violenter trahunt. Jam volat fama per urbem, captum eſſe Prophetam, qui dicitur Chriſtus. Currunt omnes rudes, indocti, & ſimplices, nobiles, & ignobiles, mares, & fœminæ ad tam grande ſpectaculum. Convocant Sacerdotes minores plebejos, & vulgus ineptum, & in eorum ſuſurrant auribus, ſuadentque, ut interitum petant dulciſſimi Jeſu; plebs autem indocta, quæ prius ipſum ut Prophetam venerabatur, facilè ſeducitur, & majoribus

bus annuunt. Nunc conſidera, dum ſic attraheretur benignus Jeſus, ecce Mater ejus dulciſſima Domina glorioſa, cui per Apoſtolos, qui fugerant, cum Jeſus caperetur ea, quę geſta fuerant, innotuerant. Advenit ergo Mater ſanctiſſima cũ Maria Magdalena, & aliis mulieribus. Cumque ſic viliter aſpiceret attrahi natum ſuum, non noſcens eum, cum foret vultu palidus, façie deturpatus, & laniatos geſtaret crines, & ex crebris tonſionibus tumentes, & inflatos oculos habens, cœpit ambigere, an ille Filius ſuus eſſet. Non enim erat ei ſpecies, neque decor, at ubi Filium ſuum eum fore cognovit præ dolore penè exanimis eſt effecta. Compatere, ò anima mea piæ Genitrici, & ſecum ac cum Maria Magdalena, & reliquis Mulieribus plange, ſuſpira, & tota deficias in te ipſa. O Domina mea glorioſa, quis tuum poſſet reſerare dolorem? Jam illud Simeonis vaticinium impleri incœpit, quod tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Sed ad noſtrum Jeſum redeamus, quem canes illi truculentiſſimi ad Pilati prætorium duxerunt. Et quia Pilatus Gentilis erat, & dies erat paſchalis ipſorum, in prætorium introire noluerunt, ut non contaminarentur ſe immiſcendo Gentili. Sed puri, & mundi exiſterent ad manducandum paſcha. O cœca fatuitas, & fatua cœcitas, inquinari timent intrãdo in domum Gentilis, & macula-

culari non timent, occidendo juſtum, & innocentem. Et qui mores ejus noverat, exivit ad eos foras. Cumque Agnum innocentiſſimum ligatum conſpexiſſet, cõſuetudinis Judæorum non inſcius, quia quicunque reus mortis à Judæis judicatus exiſteret, vinctus Præſidi tradebatur, ut in eum mortis proferret ſententiam, mox ad hoc adductum eſſe cognovit, ut morte damnaretur. Non igitur quæſivit, quid à me petitis, ſed ait. Quam accuſationem affertis adverſus hominem hunc, quem ligatum adducitis. Cui ſuperbè reſpondentes Pontifices, non directè accuſationem expoſuere, ſed per obliquum divertentes, & ſe juſtificare volentes, dixerunt: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. O Judæi nepharii, O accuſatores falſidici, ò calumniatores mendaces. O inverecundi criminatores, quàm iniquè, quàm impudenter Dominum meum accuſatis? heu ſcelus nephandum! hunc malefactorem aſſeritis, qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus, qui ſolus bonus eſt, à quo bona cuncta procedunt. Dicite quæſo, ò doloſi, & invidi detractores; quid mali fecit? Quod maleficium commiſit? Interrogate liberatos ab immundis ſpiritibus, cœcos videntes, mortuos ſuſcitatos, leproſos mundatos; hii vobis reſpondeant, hii an vera aſſeratis, teſtentur. Et quidem ſi talia maleficia dici mereantur.

tur, dignè eum malefactorem eſſe perhibetis, Præſes verò, quia per invidiam eum cœpiſſe ſciebat, reſpondit eis. Si vobis malefactor videtur, accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum. Illi verò ad eum. Nobis non licet interficere quemquam, ſed ad nos examinatio ſpectat, & ad te ſententia. Tunc Pilatus. In quo igitur culpabilem eum dicitis? At illi accuſationem triplicem intulerunt, expreſsè dicentes. Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributum dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe. O impudentes accuſatores, qui tam falſa aſſerere non veremini, & omni prorſus veritate carentia non pudet aſtruere. Penſate, & reducite ad mentem, qualibus machinationibus gentem veſtram ſubvertit. Monita ſaluberrima genti veſtræ præbebat, ſtudens avertere à via prava, & reducere in viam rectam. O gens cęca, & invida, quia benigniſſimum Dominum de bono opere lapidatis. Dicitis & ſecundum, quia tributum vetavit dari Cæſari. O linguæ procaces; ò labia doloſa, quia rectè mentimini in capita veſtra! Eſtote memores, cum tentantes ſubdole, quæſiſtis ab eo, an liceret tributum dari Cæſari, quid vobis reſpondit oblatoribus numiſmatis, id eſt monetæ, non ne ait? Reddite quę ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Ipſe quoque ne vobis ſcandalum eſſet, pro

ſe, &

ſe, & Petro tributum ſoluit. Denique, quod ſe Regem dixerit, eidem objicitis. Sed ò inſenſati, & dementes, equidem ipſe Rex eſt, qui non eripit mortalia, ſed Regna dat cœleſtia. Sed quid de Regno terreno loquimini? ubi nam quæſo indicia terreni Regni apparuere? ubi corona regia? ubi ſceptrum? ubi diadema? ubi amictus purpureus? ubi militum concio? ubi ſervorum copioſus numerus? ubi ampla, & lata palatia? ubi equorum exercitus? Iſta ſanè terrenis Regibus conveniunt. Iſtis utuntur. Iſtis delectantur, ſed intuemini Dominum Jeſum meum, nulla talia in eo reperietis inſignia. Cernitis nempè hominem mitem, & humilem corde, ſobrium, pium, ac benignum, ac omni virtute conſpicuum, qui diſcooperto graditur capite, groſſa, ac vili veſtitus tunica, pedibus denudatis. Duodecim pauperculis, & ſecundum carnem, ignobilibus, comitatus Diſcipulis. Nulla ei fuerat habitatio. Vulpes enim foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet. Super propriis incedebat pedibus, aut interdum parva navicula, ducebatur. Ipſe quoque, & ejus Diſcipuli remiges erant. Si de equitatu quæritis, ſemel cum veniret in Hieruſalem ſuper vilem aſellum ſedebat, introductus à turbis cum gloria, & laudibus. Hęc ejus fuere inſignia, hii Regni faſtus, ex quibus nun-

nunquid Rex forèt, poteratis deprehendere. Sed ò perfidi, & invidi calumniatores, nunquid à mente excidit, quod cum ingentem turbam ex pauculis panibus, & piſcibus ſaturaſſet, voluerunt ipſum Regem facere, ſed aufugit ab eis, & aſcendit in montem. Eya deſiſtite precor Dominum meum ſic mendaciter accuſare. Pilatus ergo audita accuſatione, Jeſum in prætorium introduxit. Et quia de primis duodecim non curavit, cum audierit de fama ejus, & prædicationibus, ſciretque, quod Pontifex ex invidia tradiſſent eum, quæſivit tantum de tertio, quod honorem tangebat Imperii, dicens ei. Es tù Rex Judæorum? Audi nunc anima mea manſuetiſſimum Jeſum verecundo ore, & placido ſermone, ſuperbo barbaro reſpondentem, quid inquit humilis Jeſus. A te metipſo hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me. Pilatus autem reſpondit. Nunquid ego Judæus ſum. Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi, & ab eis hoc didici. Quid igitur feciſti? Tunc Jeſus ait. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si de hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis. Nunc autem Regnum meum nõ eſt hinc, ideſt non eſt de terra, ſed de Cœlo procedit. Dixit itaque Pilatus. Ergo Rex es tù. Reſpondit Jeſus. Tù dicis, quia Rex ego ſum. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc

veni

veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati. Omnis, qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Tunc dicit ei Pilatus. Quid eſt veritas? Et cum hoc dixiſſet, quia foris ſtabat turba luporum clamans, non expectato reſponſo benedicti Jeſu, exivit iterum ad Judæos. Jamque compatiens manſueto Jeſu, nihil in ejus reſponſione dignum reprehenſione dijudicans. Jam enim eloquium Domini dulce inflam̃averat eum. Ait ad Principes Sacerdotum, & ad turbas. Ego nihil invenio cauſæ in hoc homine. Tunc rabidi canes frementes, & vocibus invaleſcentes, vociferabant dicentes. Commovit populum docens per univerſam Judæam, incipiens à Galilæa uſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit, ſi homo Galileus eſſet. Et ut cognovit, quod de Herodis eſſet poteſtate, ut ſe exoneraret, cogitavit ipſum remittere ad Herodem, qui & illis diebus Hieroſolimis erat. Accerſitis itaque ſatellitibus ſuis, ligatum illum ad Herodem miſit, quem ſecuti ſunt impiiſſimi Sacerdotes; Herodes autem viſo Jeſu, gaviſus eſt valdè. Ex multo enim tempore fuerat cupiens videre eum, eo quod audierat multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre fieri ab eo. Cum igitur ipſum multis ſermonibus interrogaſſet Herodes, ipſe nihil reſpondit illi. Princeps verò, & Sacerdotes conſtanter accuſabant

bant

bant eum. Videns autem Herodes, quod nihil ei reſpondebat, eum ut delirum, & fatuum extimavit. Et in majus opprobrium eum alba veſte veſtiri juſſit. Erat autem, ut dicitur, veſtis hæc ad modum ſcapularis Religioſorum ſine caputio ante, & retro dependens à collo. Forſitan nanque petiam panni albi accipientes foramen fecerunt in medio, collo ejus imponentes, ut ſtultis fieri conſuevit, & ad Pilatum eundem remiſit.

Vides, ò anima mea, quanta ſe offerunt, quibus compatiaris afflicto Jeſu. Quis ille unquam fuit tam ſceleſtus homo, qui tot ſuſtineret opprobria, quòd tot ferret ſubſanationes, & irriſiones? O abhominabile nephas! Dominus meus, qui fecit mare, & aridam, qui cœlos in intellectu fecit, cui aſſiſtunt Angeli, nunc inſtabilis circumrotatur, & per manus verſatur iniquorum. Nunc mittitur ad iſtum, nunc ad illum. Conſuevit, uniuſcujuſque iniquiſſimi, & ſceleſti hominis cauſam, coram uno tribunali, coram duntaxat judice ventilari, & ſub uno tantum judice ad quæſtionem poni. Sed Agnus innocentiſſimus, qui peccatum committere non poteſt, coram quatuor eſt oblatus, atque ſub uno quoque eorum convicia, & tormenta perpeſſus, ante Annam poſitus, alapa percuſſus eſt. Sub Cayphę examine conſtitutus alapas, ſputa, verbera, & omne convitii genus percepit,

cepit. Præſentatus Herodi, inſanus, & fatuus reputatus eſt, & in deriſum ipſius, ſtultorum veſte indutus. Poſt hæc à Pilato verbera, & afflictiones, ac convicia, & demum ignominioſæ mortis accepit ſententiam. O benigne Jeſu, quare tanta ſuſtines? Certè ex charitate, quam ad me habuiſti, ſic te humiliaſti, ſic irrideri, & deſpici voluiſti. Tu ergò humilime Jeſu, tribue mihi ſervulo tuo indigno, ut omnem deriſionem, deſpectionem, quam pro tui nominis amore patior, humiliter feram, alacriterque pro tui amore ſuſcipiam. Effice quæſo me verum humilem, ut deſpectiones lætus ſuſcipiam. Laudes verò, & exaltationes abhorream. Scio nanque bone Domine, quia ſuperbis reſiſtis, humilibus verò das gratiam. Et ſcio Domine, quia qui cupit ad alta conſcendere, prius oportet, ut humilis fiat. Qui igitur ſolus potes id facere, veram in me humilitatem immitte, ut cantare tibi valeam cum Pſalmiſta. Bonum mihi, quia humiliaſti me. Et ut facilius humiliari valeam, inſere in me tuæ dilectionis ardentem ignem. Si enim mandata tua dilexero, nitar tui fieri imitator, quòd me doces, ut à te diſcam, ut mitis ſim, & humilis corde.

Medi-

Meditatio de reductione Domini Jeſu ab Herode ad Pilatum, & quomodo juſſu Pilati acerbè ad columnam flagellatus extitit, & ſpinis coronatus, purpura indutus, & alias multipliciter deriſus.

INdutus alba veſte,& ut inſipiens ſpretus ab Herode, pius Jeſus remittitur ad Pilatum. Et ex hoc facti ſunt amici in ipſa die Herodes, & Pilatus, qui antea inimici fuerant. At poſtquam benignus Jeſus reductus extitit ad Pilatum, convocatis Principibus Sacerdotum, & Magiſtratibus, & plebe, dixit ad illos. Obtuliſtis mihi hominem hunc,quaſi avertentem populum,& ecce coram vobis ego interrogans, nullam cauſam invenio in homine iſto ex hiis, in quibus eum accuſatis. Sed neque Herodes, nam remiſit illum ad nos. Et ecce nihil dignum morte actum eſt ei. Summi verò Sacerdotes ipſum accuſabant in multis. Ipſe verò Jeſus nihil eis reſpondebat. Cui Pilatus. Non vides in quantis te accuſant? Non reſpondes quicquam? Jeſus autem amplius nihil reſpondit, ita ut miraretur Præſes vehementer. Per diem autem ſolemnem conſueverat dimittere Populo unum vinctum, quem voluiſſent. Habebat autem tunc vinctum quendam inſignem, qui dicebatur Barabbas, qui propter ſeditionem quandam factam in Civitatem,

tatem, & homicidium, miſſus fuerat in carcerem. Cum igitur aſcendiſſet turba, dixit ad illos Pilatus. Eſt conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in paſcha. Quem vultis de duobus vobis dimitti? Barabbam, an Jeſum, qui dicitur Chriſtus? Optabat equidem Pilatus, Dominum Jeſum liberare, undè non quæſivit in genere: quem vultis ex vinctis vobis dimitti? Sed quia Barabbas ſceleratiſſimus erat homo, cujus mortem omnes affectabant, putavit eos potius aſſentire, ut Jeſus liberaretur, quàm ut tam ſceleſtus mortem evaderet. Ideoque ad Barabbam ſe reſtrinxit. Sed inſatiabilis rabies ipſorum, potius omnes nephandiſſimos homines, quàm ipſum Jeſum liberari petiſſent. Reſponderunt igitur. Non hunc, ſed Barabbam. Tolle igitur hunc, & dimitte nobis Barabbam. Ait iterum Pilatus ad eos. Quid igitur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus? At illi clamabant, dicentes. Crucifige eum. Ait tertiò ad eos Pilatus. O gens maledicta, quid mali fecit iſte? Nullam cauſam mortis invenio in eo. Corripiam ergo illum, & dimittam. Interea dum ſederet Pilatus pro tribunali, miſit ad eum Uxor ejus, dicens. Nihil tibi & juſto illi, multa enim paſſa sũ per viſum propter eum; propter quod Pilatus magis timuit, & cogitabat dimittere eum. Ut igitur rabidam, & inextinguibilem Judęorum ſeda-

ret

ret ſitim, ratus eſt, mitiſſimum Jeſum diris torquere flagellis, ut ſic poſtulatam mortem verberibus commutaret. Convocans igitur carnifices ſuos, Chriſtum acriter flagellari juſſit. Nunc ſiſtamus hìc pauliſper, ò anima mea, hìc diutius immoremur. Occurret enim quo non modicum pio Jeſu compatiamur. Contemplemur inquam, & intueamur, quàm dirè, quàm turpiter ſpinis, flagellis, ac verberibus eſt afflictus. O dulciſſime Domine, ò ſuaviſſime Jeſu molifica cor meum durum, ut in memoria tuæ flagellationis acerbè totum diſſoluatur. Da mihi quæſo benigne Domine, eam ſic affectuosè penſare, ut ipſam rememorando tuorum particeps ſim dolorum. Ego enim amantiſſime Domine, quod cupio, à meipſo perficere nequeo. Sæpè mihi propono, de tua paſſione cogitare, & quę geſta ſunt erga te, mecum tacitus mente revolvo. Sed omni repletus ariditate, nequaquam ſentio, quod cogito, tanta eſt duritia cordis mei; heu mihi, quia tanquam fabulam pertracto, quod interno cordis dolore, & lachrymarum profluvio penſandum foret. Sed fateor dulciſſime Domine, quia meritò hæc patior; modica etenim mihi ineſt cura, parvaque ſedulitas in tuis vulneribus immorari; undè ſi fortè mentem ad id meditandum coaptare incipiam, mens ab ea meditatione facilè divellitur per plurima vana, & otioſa

diſcurrens, ad certum locum corpus repono, ut mens ad te dirrigatur, omnes cogitationes meas ſtudeo in unum colligere, ut mens intra ipſam conſiſtens, vacare valeat tibi ſoli. Et ecce repentè hinc indè irruit multiplicium cogitationum, diverſorumque fantaſmatum turba, mentem diſtrahentium, & per ea, neſcio quæ, vana, & otioſa diſcurrere compellentium. Sic mobile, & inſtabile eſt cor meum Domine, ut ad quæcunque ei otioſa oblata facilè dilabitur. Sed hæc undè mihi dulciſſime Domine? Sola profectò dilectionis exiguitas in cauſa eſt. Ea enim, quę grata ſunt, ſolicitus ſum mente verſare, nec ab hiis facilè divellitur animus; undè quia parùm te diligo bone Jeſu, ideo cor meum in te fixum ſtare non valet. At ſcio Domine, quia impotens, & imbecillis ſum ad iſta, quæ cupio, niſi tù ipſe pręſtiteris. Te igitur oro, ut ad meam deſidiam non attendas, ſed ſecundum multitudinem miſerationum tuarum confirma cor meum, & inſtabilem, ac vagam mentem meam in ſeipſam jube conſiſtere. Pelle à me omnes alias curas, & trahe me ad te, ut devota compaſſione cogitem, quot, & quanta fuerint tormenta, atque deriſiones, quæ juſſu Pilati in tuo pretioſiſſimo corpore pertuliſti. Igitur carnifices Pilati, ipſius juſſu, furenti impetu rapiunt pium Jeſum velut lupi famelici trepidam ovem. Et adhuc

huc ligatum poſt ſe trahentes ſeceſſerunt ad partem ejuſdem domus. Tunc ligatas ejus manus, & brachia diſſolventes, ſuis eum exuunt veſtimentis. Heu ſcelus horrendum! nam qui eſt ſpecioſus forma prę filiis hominum, nudus ante conſpectum ſpurcidorum, ac fœtentium ſatellitum exhibetur. Aderat ibidem columna quędam marmorea, cui ſic denudatum venerandiſſimum corpus manibus poſt terga iterum religatis tenaciſſima fune connectunt. Paret obedientiſſimus agnus, & prout eis placet, ſe ligari permittit. Moxque quidam ex eis, qui robuſtiores, & ad nocendum promptiores apparebant, aſpera quædam aſſumunt in manibus flagella, ex juncis maris fortiſſimis, & viridibus fabricata. Incipiunt immanes tortores, erga venerandum corpus furibundè ſevire, manuſque nepharias in verba, ac flagella laſſare, vibrant hinc inde validis lacertis aſperrima lora, nunc amœna, & formoſa brachia, nunc pectus illud eburneum, nunc collum ſpecioſiſſimum, modo conſpicuas ejus ſcapulas contundentes. Dant interdum aculeos, & ictus creberrimos per terga illa ſanctiſſima, nonnunquam verò per crura præ fulgida. Quod vagor per cuncta? Tortores illi impiiſſimi partem illius pretioſiſſimi corporis vacuam non reliquerunt, quæ acerbiſſimis flagellis ſauciata non fuerit, nec particula aliqua à cruentis vulneribus

immunis extitit reſervata, ò ſuaviſſime Domine, quis ille tam audax extitit, qui te ſpoliavit? Quis tam temerarius, qui te ad columnam ligavit? Quis tam ſacrilegus, qui te flagellavit? Dulciſſime Domine mihi debebantur flagella æternę afflictionis, tù pro me flagellari voluiſti, ut me miſericorditer ab illis erueres: heu dulcis Domine, quomodo decor ille ſpecioſiſſimus de ſacratiſſimo corpore tuo abiit? Exitus aquarum deducant oculi mei, quia qui ſpecioſus erat præ filiis hominum, nunc totus efficitur deformatus. Non vides, ò anima mea, quomodo caro illa ſanctiſſima, quæ prius mirabili candore nitebat, modo fit ex crebris tonſionibus fuſca, & livida? Incipit tota hinc inde tumeſcere, & ex percuſſionum frequentia denſi tumores incipiunt pullulare, dehinc ex inflata carne ſanguinis erũpit uberrimus, & velut aqua ex fonte undique ſanguis exuberat. Jam tota cruore madeſcit terra, & fluvius incipit ſcaturire ſanguineus, totum perfundens corpus; heu quid dicam? Caro illa delitioſiſſima, quæ prius candidiſſima fuerat, nunc rubicunda prorſus effecta eſt, plange, & ejula, & effer crebros gemitus, & ſuſpiria multa. O anima mea jam etenim non dicere potes, ut alias: dilectus meus candidus, & rubicundus; ſed dic potius: dilectus meus lividus, tumefactus, ulceroſus, & rubicundus. Quis igitur tam im-
mittis?

mittis? quod pectus tam ſaxeum? quod non moveatur ad lachrymas, cum dulciſſimum Jeſum ſic aſpicit deformatum? Ecce apparet impletum in eo illud Eſaię. Vidimus eum, & non erat aſpectus, & reputavimus eum quaſi leproſum, & humiliatum à Deo. Quid verò putas, tunc agebat Agnus ille mitiſſimus, dum tam durè, & acerbè affligeretur in corpore? Equidem, ut arbitror, & ſi torqueretur corpus, mens tamen ſervabatur illæſa. Sed quia humana fuerat carne veſtitus, tanquam homo inflicta vulnera ſentiebat. Quantoque delicatior caro illa fuerat, atque tenerior, tantò acerbius imprimebatur dolor. Suſpirabat interdum, ut æſtimo, dulciſſimus Jeſus, nunc tacitos emittebat gemitus, modò ſubmiſſa voce lamentabatur. Nonnunquam caput ex dolore movebat, quærens ubi ex debilitate illud paululum reclinaret. Sed heu, quia non erat locus niſi columna, cui fuerat alligatus, ubi caput poſſet adhærere gravatum. Interdum etiam lachrymæ ex limpidiſſimis oculis, cogente vulnerum dolore, ſtillabant. Aliquandò verbula aliqua dolorem atteſtantia, plana, ac tremula voce ferebat. Sed cruciatores immaniſſimi nulla permoti compaſſione, acrius in eum verberibus ſtridebant, & verba contumelioſa miſcentes cum cruciatibus pium, & manſuetiſſimum Jeſum lingua, & manibus lacerabant. Denique

jam laſſati, quia amplius non poterant, pepercere verberibus, & Agnum immaculatum à columna ſoluerunt. Tunc raptus impetuosè à ſpurciſſimis illis apparitoribus, nudus per domum ducitur, ut veſtes ſuas colligat ſparſim ab expoliatoribus per domum projectas. Intuere, ò anima mea dilectum Jeſum ſic nudum, & flagellatum, & propter frigus trementem, quia frigus erat. Mirari cum grandi compaſſione crebris ſuſpiriis, & lachrymarum imbre juvenem elegantem, nobiliſſimum, innocẽtiſſimum, totum autem flagellatum, ſanguineque, & livoribus reſperſum, pannos ſuos undique ſparſim projectos de terra recolligere, & cũ quadam verecundia, & rubore nudum coram illis ſemper ipſum deridentibus ſe veſtire. Dumque ſic ſe reveſtire quærit humilimus Jeſus, accedunt quidam ex illis impiiſſimis ad Pilatum, dicentes. Domine, quia ſe Regem fore dicebat, ipſum coronemus, & more regio veſtiamus. Et tunc conſentiente Pilato, congregaverunt ad eum univerſam cohortem in prætorium, ubi Præſes ſedebat, & Senatus, ut omnes tali intereſſent ſpectaculo, & ut magis illuderetur in loco patenti, & coram multitudine. Et eum vix reveſtitum exuentes veſtimentis ſuis, induerunt veſte, ſeu tunica purpurea, non nova, ſed veteri, & abjecta, circundederuntque deſuper chlamydem coccineam, ideſt palium, vel

man-

mantelum non conſutum, ſed fibula infrenatum coccinei coloris, qui eſt inter rubeum, & purpureum, in opprobrium regii nominis, quod ipſe, prout aſſerebant Judæi, ſibi indebitè uſurpabat, undè quia Rex dicebatur, induunt eum veſte, qua veteres utebantur Reges, & ad confuſionis augmentum, non novam, ſed veterem chlamydem acceperunt. O anima mea, quid hinc lachrymas poteris continere? En cernis, quia hii nepharii animam dilecti Jeſu illuſionibus replere non ceſſant; vides quoque, quam dignus ſit compaſſione, quia ſtatim ſoluto Domino à columna, toto cruentato, & toto livido, veſtis imponitur nudo corpori ſic cruentato. O mira compaſſio! non enim affuit ſic afflicto, ſic perfoſſo, ſic laſſato, qui aliquod levamen impenderet: heu bone Jeſu, non affuit tibi Medicus, qui ſic ſaucio corpori medicamenta præberet, qui unguentum, aut oleum vulneribus ſuperponeret, qui membra ſanctiſſima ſanguine delinita lavaret, qui aquæ poculum arido præſtaret ori. Conſiderabat patientiſſimus Agnus ad dexteram, & videbat, & non erat, qui cognoſceret eum. Et conſpexit, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui eum conſolaretur, & non invenit. Sed mox, ut ſolutus eſt à columna lividus, & deformis, & cui non erat ſpecies, neque decor, induitur veſte purpurea, quæ ſtatim coagulato ſanguini ap-

plicatur. Nec mora, in ſolio, quod ibi aderat, deridendus imponitur. Afferuntur illicò ex ſpinis acutiſſimis, & longis ramuſculi quidam, denſas habentes ſpinas, velut clavos cum mortali cuſpide, artificiosè confectos. Statimque ex hiis ramis ſertum quoddam in forma coronæ conficitur, quod ſic ſpinis condenſum, venerando imponitur capiti, utque tenacius capiti infigatur, fuſtibus coaptatur, & baculis; de hinc in manibus ipſius arũdo quędam datur pro regali ſceptro. O lachrymæ meæ venite, & fluite inceſſanter, quia à ſæculo non eſt audita tanta deriſio. Nonne plangendum, nonne ſuſpirandum eſt? nonne liquefieri debes in horum recordatione? O anima mea, deduc quaſi torrentem lachrymas, quia tanta pro te patitur mitis Jeſus; vide ovem manſuetiſſimam ſtantem in medio, & ante ipſam famelicos lupos facere funeſta præludia. Accedunt ad eum ſinguli flectentes genua, & adorantes, manuque prenſantes arundinem, pulſant coronam capiti inſidentem, ut firmius infigatur. Figuntur ſpinę cuti pretioſiſſimę uſque ad carnem, & cerebrum penetrantes. Perfoditur, & jaculatur totum venerandum caput, totumque incipit cruore conſpergi. Aſperguntur quoque flavi capilli fluenti ſanguine, & facies illa ſereniſſima ſanguine rubricatur. Ita ut non amplius facies Domini Jeſu, ſed excoriati hominis videretur.

retur. Nec ſatis hæc fuerint eis. Sed inſuper contumelioſa verba ingeminantes, alapas in faciem dabant, & quæcunque convitiorum genera inferebant. Quem tandem, cum benè deriſionibus, & verberibus repleverunt, ſic ſaucium, ſic afflictum, & velut ſeminecem Pilato præſentarunt.

Vides, ò anima mea, quot, & quanta, pro te pertulit pius Jeſus tuus. O Jeſu benigniſſime, qui ex immenſa tua charitate, tam viliter tractari voluiſti, fac quæſo me tanti beneficii cognitorem, & viciſſitudinariam ad te charitatem, quam ſolam à me expoſcis: ſic imprime viſceribus meis, ut nihil mihi ſapiat, nihil delectet, nihil applaudat, niſi tù Rex meus, & Deus meus, ſalvator meus, & liberator meus. Immitte precor ignem amoris tui in oſſibus meis, ut quocunque me vertam, ſemper meum Dominum Jeſum reperiam crucifixum.

Meditatio de oſtenſione Domini Jeſu facta per Pilatum, & ſententia mortis lata per ipſum. Ac etiam quomodo Judas triginta argenteos projecit in Templum.

REgi ſæculorum immortali, & inviſibili ſoli Deo dolor, & compaſſio in ſæcula ſeculorum. Attende, ò anima mea, quia ecce Rex tuus venit manſuetus, totus ſanguinolentus, contuſus, & livi-

lividus, purpura indutus, & corona ſpinea coronatus. Pilatus autem putans rabiem Judæorum ſedaſſe, exiit foras ad Judæos, adducens ſecum Jeſum, & dicit eis. Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoſcatis, quia in eo nullam invenio cauſam; ſed ſi quam vos cauſam prætenditis, ecce punitus eſt, aſpicite hominem, qualis apparet. O proterva Judæorum nequitia, & invidia protervißima, quale cor, tam iniquum, tam aſperum erga inimicum ſuum, quòd conſpecta de ſuo inimico tali facta vindicta, ad compaſſionem non moveretur! Sed perfidi Pontifices, & Miniſtri, licet ſic deformen, ſic afflictum cernerent pium Jeſum, non propterea ſatiantur, ſed clamant: crucifige, crucifige eum. Tunc iratus Pilatus, credens, quòd eorum ſedaſſet ſitim, ait. Accipite eum vos, & crucifigite. Ego enim non invenio cauſam in eo. Gens maledicta eſtis, & vultis occidere innocentem. Reſponderunt Judæi. Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit. Pilatus autem cum audiſſet hunc ſermonem, magis timuit, timens ne manus immitteret in filium Dei. Et iterum Jeſum introducens in prætorium, dicit ad eum. Unde es tù? Jeſus verò reſponſum non dedit ei. Et Pilatus ad eum. Mihi non loqueris? neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?

Re-

Reſpondit Jeſus. Non haberes in me poteſtatem, niſi tibi data eſſet deſuper, propterea qui me tradit tibi, majus peccatum habet. Et exindè Pilatus magis quærebat dimittere eum. Judæi autem clamabant, dicentes. Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari. Pilatus autem magis timens inimicitiam Cæſaris quàm Dei, adduxit Jeſum foras, & ſedit pro tribunali in loco, qui dicitur lithoſtratos, hebraicè autem gabatha, & dicit Judæis: Ecce Rex veſter. Conſiderate, ſi tales ſunt cœteri Reges; putatiſne, quod talis Rex vobis ſubripiet Regnum? Illi autem clamabant. Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus. Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices. Non habemus Regem niſi Cæſarem. Et inſtabant vocibus magnis, ut crucifigeretur, & invaleſcebant voces eorum. Videns autem Pilatus, quod nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus ſuas coram Populo, dicens. Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus, vos videritis. Et reſpondit univerſus Populus, dicens. Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Erat autem tunc hora diei inter tertiam, & ſextam. Volens igitur Pilatus Populo ſatisfacere, dimiſit illum Barrabam, & ſedens pro tribunali, tulit ſententiam, ut Jeſus crucifigeretur. Hic quomodo tace-

re valebimus, ò anima mea, contra iniquiſſimum Pilatum? O judex inique, & arbitrator injuſte, in quo fuit omnis injuſtitia. O ſententia perperam, & iniquè lata antiqua conſuetudine, & juris ordine minimè obſervatis, immo & à judice non ſuo, & in Dominum Jeſum nullam juriſdictionem habente. Quomodo enim nequiſſimus vermis poterat ſuum judicem judicare, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem? Tuliſti, ò perfide Pilate mortis ſententiam contra Dominum non convictum, non confeſſum, per teſtes non idoneos, cum ejus notarii forent inimici, idemque teſtes, & accuſatores exiſterent. Nec talia etiam contra eum depoſuere, propter quæ mortis invenire ſententia, quia & ſi ſe Regem dixit, declaravit poſtea Regnum ſuum non terrenum exiſtere, ſed cœleſte; & ſi ſe filium Dei dixit, quia ex hoc non fuerit malè locutus, Judæos convicit verbo Pſalmiſtæ, dicentis. Ego dixi, dii eſtis. Non inſuper ipſe Dominus aliquid confeſſus eſt morte dignum; ſed nec lata quoque fuit ipſa ſententia ſecundum morem antiquum, & juris ordinem, quia non fuere diſcuſſa omnia, quæ ei objecta ſunt; immo verò omnis impietas, omniſque crudelitas erga piiſſimum Jeſum jactata eſt. Conſuevit enim ultimo damnandis ſupplicio trium, aut plurium dierum præfixari terminus, infra quem

quem ſe defendere valeant, ſed benigniſſimus Jeſus in ſero captus, & tota nocte flagellis, irriſionibus fatigatus, mane ad clamorem Populi mortis accepit ſententiam, quæ mox fuit executioni mandata. Tù etiam, ò nephandiſſime judex, hanc ſententiam contra conſcientiam protuliſti, cum ſcires mitiſſimum Jeſum ex invidia, tibi traditum. Tu quoque ore firmaveras proprio, nihil in eo morte inveniſſe dignum, verum nec tibi tua proteſtatio profuit, qua te innocentem dixiſti, manus lavans coram populo, cum proteſtationi contrarium feceris ferendo ſententiam, ſine qua crucifigi non poterat. Sed laviſti, ò peſſime manus exterius, intrinſecus conſcientiam minimè abluiſti.

Nunc revertamur ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Mox enim, ut lata fuit ſententia, violenter rapitur pius Jeſus, & à militibus iniquiſſimi Præſidis ad partem domus remotam perducitur. Interim Civitas tota fervet, fama prævia indicante negotium. Stabant deorſum, ut arbitror, extra Prætorium turbæ indociles, & ineptum vulgus, Pontificeſque cum Scribis Expectabant anxii, ut foras adducatur, & omnis mora diuturna nimis videtur. Intra quoque Prætorium non minus extuat tota Pilati concio, & ſatellitum impiorum turba nequiſſima. Ibi parantur cuncta pro dira ſententia exequenda; vocantur Carpentarii, & ligna

gna quæruntur, ex quibus Crux ſanctiſſima componatur. Mittitur alius ad fabrum, ut clavos conficiat longiſſimos, quibus ſacratiſſimæ manus, & pretioſiſſimi pedes Domini mei figantur. Conſtruuntur quoque cœtera inſtrumenta lætalia. Quæruntur lanceæ, fuſtes,& galeæ; parantur equi, & vexilla tenduntur. Dumque talia per Miniſtros serioſé fiunt, interim ſtat Agnus innocentiſſimus ſpurcorum vallatus turba carnificum,qui purpura ipſum exuentes, propriis induunt veſtimentis. Et quàm diu cuncta parantur, verba, alapas, ſputa, & omnia quæ dici poſſunt convitia, ei inferre non deſinunt. O dulciſſime Jeſu, quanta dignus es compaſſione, qui non es permiſſus quieſcere ad momentum,ſed in continuis afflictionibus extitiſti. Judas autem, qui eum tradiderat, forté tunc ſtans extra cum turbis, ut audivit latam eſſe ſententiam, videns quòd damnatus eſſet, pœnitentia ductus, perrexit ad Templum, ubi Phariſæi, & Pontifices fuerant congregati, forté inientes conſilium, ut ad locum ſupplicii tenderent, ne quid ſiniſtri poſſet accidere, quo factum ſuum impediretur, portanſque ſecum triginta argenteos, quos pro proditionis premio acceperat, eos projecit in Templo, dicens. Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. At illi dixerunt. Quid ad nos. Tù videris. Et abiens Judas, laqueo ſe ſuſpendit. Principes au-

tem

tem Sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt. Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum; propter hoc vocatus eſt ager ille acheldemach, hoc eſt, ager ſanguinis uſque in hodiernum diem.

O benigniſſime Domine Jeſu Chriſte, qui pro me à Pilato mortis ſententiam accepiſti, ut me à morte liberares, fac quęſo me gratum tanti beneficii, & in extremo judicio, cum veneris judicare vivos, & mortuos, non intres in judicium cum ſervo tuo, nec memineris iniquitatum mearum, ſed per tuam miſericordiam, cum electis me judices, ut cum eis poſſideam Regnum, quod ipſis paraſti ab origine mundi.

Meditatio, quomodo Dominus Jeſus Crucem portans humeris, ad montem Calvariæ ducitur crucifigendus, & de his, quæ in via acciderunt.

QUi vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Curre, & propera, ô anima mea, ad vocem hanc noſtri dulciſſimi Redemptoris, qui Crucem propriis ferens humeris, te invitat, ut ſi optas ſequi ipſum, & tu crucem tuam bajules. O quàm dulce, quàm ſuave, cru-

cem bajulare poſt Jeſum. Fœlix, qui venit poſt te Domine Jeſu, quia qui ſequitur te, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Tù quidem eis, qui relictis omnibus, te ſequuntur, dices: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. Veni igitur, ò anima mea, & ſequamur noſtrum Jeſum, Crucem propriis humeris portantem.

Attende hìc pauliſper, & teipſam in te parumper recollige. Intuere Dominum tuum, Creatorem tuum, Redemptorem tuum. Conſidera labores ejus, languores, atque tormenta, cuique importabilia; hìc conflue tota mente, totaque meditatione. Scinde cor tuum, funde lachrymarum fluvium inceſſantem, nec ceſſes à gemitibus; habes enim undè multum compati debeas dulci Jeſu: vides enim quomodo deſpicitur, quàm immaniter, quàm ſeveriter à Judæis perfidis pertractatur. Quis tibi non compatiatur patientiſſime Jeſu? Tota namque fuiſti nocte laſſatus, ductus, & tractus ab horto, funibus collo ligatis, & manibus, præſentatus Annæ, & ibi alapa ſæviſſimè percuſſus. Poſt hęc in domo Cayphę pugnis, & aliis dirè afflictus, conſputus, & irriſus. In domo dehinc Herodis deluſus, & fatuus reputatus, demumque in prætorio Pilati duris verberibus acriter fuſtigatus, corona ſpinea perforatus, conſputus, deriſus, & pene exanimis derelictus. Et heu dul-

dulcis Domine. Ecce quid tibi pro ſolamine, quid tibi pro tantorum levamine laborum prębetur? Quid inquam? Crux equidem vaſtiſſima, & oneroſa tuis ſacratiſſimis humeris deferenda imponitur. Nunc verò audi, ò anima, quid de dilecto Jeſu factum fuerit, poſtquam Pilatus in eum mortis tulit ſententiam; ubi enim ſacratiſſima Crux fabricata extitit, & cętera ritè perfecta, pro ſententia exequenda, trahitur dulcis Jeſus de domo Pilati, ſuis indutus veſtibus, funibus pretioſiſſimo collo ejus injectis, & manibus dirè ligatis. Stabat foris rabida canum oblatrantium turba. Aderant & Pilati milites, truculentique carnifices armis rutilantes, & gladios, ac fuſtes, nec non & lanceas tenentes in manibus, ipſumque manſuetiſſimum Agnum circumcirca ſtipantes. Confluunt undique catervatim Judæorum cœtus, viri pariter, & mulieres, ac pueri, ad tam grande ſpectaculum. Irruit furenti impetu denſiſſima turba, & tractum Dominum ingentibus ullulatibus inſequuntur. Clamitant omnes, & terrificibus vocibus, æthera rumpunt, cōvicia ingeminantes, & opprobria. Certant omnes, ut urſi, ac leones atrociſſimi, ad ipſum approximare. O qualia, & quāta, ut arbitror, ludibria patiebatur humilimus Jeſus ab illis nequiſſimis. Credo quidem, ò anima mea, quòd noſter Jeſus effectus erat ludibrium puerorum. Alius nam-

namque in ejus venerandam faciem lutum proficiebat. Alius caput, aut terga fuſte tundebat. Alius aquam ſuper eum deſurſum effundebat. Alter verò impetebat lapidibus. Sed ſtat patientiſſimus dulcis Jeſus, & velut ovis innocens, quæ ad macellum jugulanda ducitur, ut ſurdus pertranſivit in omnibus. O progenies viperarum. O Judæi nequiſſimi, hiccine eſt honor, hæc gloria, hæc exaltatio, quam veſtro exhibetis Prophetæ, quem tanto pridie extuliſtis honore, frondes, & veſtes in terra ſternentes, cum Hieruſalem introiret? O ingratiſſimi, & crudeles, qui tantum honorem in tot ignominias, & tanta convertiſtis opprobria. Sed vide, quòd non ſufficit eis, ſic eum verbis injurioſis affligere, ſed Crucem vaſtiſſimam, ubi configendus erat, humeris ſuis imponunt. O humilis obedientia mei Jeſu, qui verè obediens ſemper extitit uſque ad mortem. En cernis quomodo ſic afflictus Dominus meus laborem non recuſat, nec onus reſpuit portare, quòd injungitur? O benigne Domine, ò patientiſſime, & ſuaviſſime Jeſu, quàm magna dignus es compaſſione, qui totus attritus, adeoque laſſatus, ut vix poſſes ſuſtentare teipſum, Crucem tam gravem juberis collo ſuſcipere, & tù obedientiſſimus, quamvis te impotentem fore cognoſceres, onus non evitas tam grande; ut enim fertur, Crux illa ſacratiſſima, quindecim

pedes

pedes habebat in altum, onus quidem etiam robuſto homini grave. Et heu immanitas Judæorum, qui cum duo latrones ſecum ad locum ſupplicii pergerent ad majus eius opprobrium, ſimiliter crucibus affigendi, de ipſis non legitur, quòd cruces portarent ſuas, ſed ſoli Jeſu Crucem impoſuere ferendam. Quomodo hic non clamas, ò anima mea? Vides enim, quanta eſt impietas Judæorum. O grande, & admirandum ſpectaculum, Dominus enim meus propriis humeris ſuum defert patibulum! O pie Domine, O amantiſſime Jeſu, ludibrium perfidis Judæis effectus es. Rident, & deſpiciunt te ſæviſſimi canes, quia pro virga Regni, lignum tui defers ſupplicii. Quis tibi non compatiatur dulcis Domine? dum Regem Regum conſpicit lignum bajulantem, ad ſemetipſum figendum, quod fixurus eras in frontibus Regum, in quo glorificanda erant corda ſanctorum? Sic igitur noſter Jeſus graditur ad locum ſupplicii, Crucem ferens humeris. Sed hic, ò anima mea, compatere ſapidiſſimo Jeſu, quia lento incedens paſſu, ſæpius prę ponderis magnitudine, & gravedine, demittebatur ad terram; ſed cruciatores peſſimi nulla permoti compaſſione, ſublevantes ipſum, proficiſci cogebant. O tortores crudeliſſimi, nunquam quieſcitis à cruciatibus, ſed continuè ad Dominum meum affligitis. Heu mihi, quia non

uni-

unicam, ſed plures ei infertis mortes. Feſtinate, oro, ipſum affigite Cruci, ne tantum torqueatis corpus illud jam fere exangue. Dum ſic laſſus incederet meus Jeſus, ecce ei obviam venit dulciſſima Mater ejus, comitata à dilecto Diſcipulo Joanne, à chara Diſcipula Maria Magdalena; erantque cum eis mulieres, quæ & pro Matris compaſſione, & morte, & afflictione dulciſſimi Jeſu, lamentabantur, & flebant; ipſa namque glorioſa Mater benigniſſimi Jeſu præſens in loco fuerat, cum ejus dilectiſſimus Filius à Pilato coram populo perductus eſt, coronam ſpineam portans. Cumque lata fuiſſet ſententia adjudicationis ad mortem, videns tumultum populi acclamantis, & ſequētis Jeſum, cum duceretur ad Crucem, per aliam breviorem viam prævenit occurrere, timens ne accedere poſſet ad locum, & doloroſum mortis Filii ſui modum conſpicere. Cumque incurſivè conſpexiſſet Filium, & ex ſqualidæ faciei ipſius oſtenſionibus, cordis ſui anxietates, oppreſſionemque duri oneris fuiſſet intuita, in ſyncopim reſoluta, præ dolore Filii, in conſpectu ejus ad terram decidit, quod cernēs ipſe dilectus Filius, Crucem, quam de doloribus Matris ſemper geſtabat in corde, voluit demonſtrare. Et licet ſuum potuiſſet occultare dolorem, extrinſeco tamen ſigno edere voluit, & Matri comitem exiſtere in pœna; undè ibi ſignis doloro-

loroſis, & palloribus prætenſis in facie, quaſi anguſtiatus ſemimortuus, ſuper lapidem ibi poſitum, quaſi deficiens reſedit. Tuncque malefici illi ipſum ducentes ad mortem, angariaverunt, & pretio conduxerunt; invitum coegerunt Simonem quădam, patrem Alexandri, & Ruffi, ut Crucem portaret, poſt ipſum Jeſum.

Nunquid hic ſilebis, ò anima mea. Nunquid lachrymas poteris continere, ut non deficias tota? habes enim unde multum compatiaris dilecto Jeſu, & doloroſæ ejus Matri. O clementiſſime Jeſu. O amantiſſime Domine; cur non ibi tunc temporis aderam, ut Crucem tibi portaſſem? Senſiſſem fortaſſe aliquid doloris, ſi tuas vidiſſem pœnas, & cum mœſtiſſima Matre, & aliis mulieribus doluiſſem. O quàm fœlix fuiſſem, ſi tecum juxta Crucem poſitus occubuiſſem. O quàm hilaris, & jocunda mors cum Domino ſuo mori. Tù forſitan mihi, ſicut & latroni indulgentiam præbuiſſes. Nam illa hora magna uſus fuiſti liberalitate. Sed audi benigniſſimum Dominum nihil loquentem Matri ſuæ, ne ejus augeret dolorem. Ad ceteras verò mulieres flentes ait. Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere

mon-

montibus. Cadite ſuper nos, & collibus operite nos, quia ſi in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Sic igitur comitatus duobus Latronibus, ductus eſt ad montem Calvariæ, qui paululum diſtabat ab Urbe, ubi fuerat erigenda Crux.

En vides, ò anima mea, quomodo Jeſus tuus ad ſupplicii locum pro te venit. Quid igitur non ipſum conaris ſequi, ut & in crucem tuam bajules poſt ipſum? Sed, ò benigniſſime Domine, ſi vis ut veniam poſt te, trahe me poſt te, ut curram in odorem unguentorum tuorum. Niſi enim Pater tuus, & tù traxeris me, ad te venire non valeo. Prębe igitur mihi auxilium bone Jeſu, quia beatus, cujus eſt auxilium abs te. Fac mihi dulcis Jeſu Crucem portare in corde Imprime cordi meo amorem tuum, ut nil quæram, nil cogitem, niſi te ſolum Jeſum pro me miſero crucifixum.

Meditatio de crucifixione acerba Domini noſtri Jeſu Chriſti, facta in monte Calvario, & quomodo ipſius veſtes à Pilati militibus ſunt diviſæ.

AD mōtem Calvariæ ductus eſt benedictus Jeſus. Fœlix hic mons, mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitum eſt Deo, crucifigi in eo. Sed quis aſcendet in montem Domini, ubi Dominus Jeſus crucifixus eſt? Et quidem inno-

innocens manibus, & mundo corde. Qui amat Dominum Jeſum, toto corde, tota anima, tota virtute, hic aſcendet in montem, & cum dilecto Jeſu crucifigetur. Qui carnem ſuam cum concupiſcentiis crucifigit, ille cum Domino crucifigitur. Opto tecum crucifigi, ò dulciſſime Domine Jeſu, prius tamen mihi fore opus ſcio, ut mihi mundus crucifixus ſit, & ego mundo. Sed jam videamus ò anima mea, quomodo noſter Jeſus crucifixus ſit in monte illo, ubi igitur pervenit dulcis Jeſus ad mõtem, ubi male factores pro ſuis ſceleribus puniebantur, immittes illi carnifices ipſum Dominum rapientes coram aſtante copioſa hominum turba, ipſum ſuis veſtimentis expoliant. Heu quis non compatiatur ſuaviſſimo Domino Jeſu? Conſpice queſo, ſed non ſine lachrymis, dilectum Jeſum jam pluries ab illis ſpurcidiſſimis denudatum, & nunc quoque coram toto populo veſtibus exutum, & etiam fœmoralibus ad majorem pudoris cumulum, & frigori nudus exponitur. Crede equidem, quòd illa expoliatione, carnes illę ſanctiſſimæ magnum ſenſere dolorem. Renovatę namque ſunt vulnerum fracturę cũ veſtis interior propter flagellationem ſanguinem, corpori pretioſo tenaciter inhæreret. O Jeſu mi delitioſiſſime, quale tunc apparuit corpus tuum, tam eleganter formatum! Heu quàm ulceroſum apparuit totum cruentatum, & livoribus ple-

plenum! O benignè Jeſu, quanta fuit tuę paſſionis ignominia? Nam nudus in cruce poſitus es, quod niſi vilibus, & abjectis perſonis fieri conſuevit. O Mater Jeſu amariſſima, quãtus tibi affuit dolor, cùm hęc tuis cerneres oculis! Sed ſuper omnia triſtabatur mœſtiſſima Mater, quia dilectum Filium ſic ignominiosè cõſpicit denudatum. Unde, ut dicitur, acceſſit pia Mater, & Filio ſuo approximans, velo ſui capitis eum cinxit, atque velavit. O quãta putas tunc fuere lamẽta, gemitus, & lachrymę, quæ pia Mater ſuper Filio emittebat. Non potuit ſe tenere, quin Filium amplexaretur, & ſtringeret, licet Filius ſuus nil ei loqueretur, ne ejus verba majoris ipſi fuiſſent cauſa doloris. Sed parva mora licuit mœſtæ Matri Filio adhęrere. Nam imitites apparitores ipſum de manibus Matris eripiunt: Et extenſa ibi ſuper terram ſacratiſſima Cruce, corpus ejus pretioſiſſimum ſuper ea ſupinum repoſuere. Moxque quidam ex eis clavum unum ibi paratum aſſumunt longum, groſſum, & obtuſum, ac cuſpide detruncatum, & prẽſantes venerandum mitiſſimi Agni brachium, apertamque palmam ligno jungentes, clavo illo ſuperpoſito, & ingenti maleo ictum præbentes perforatam dexteram ligno affixerunt. Heu res horrida dictu, horrorem non modicum ingerens audienti: heu quàm acerba, ut arbitror, fixura illa extitit dulcis Domi-
ne,

ne, & qualem imprimens dolorem. Diſgregata ſunt invicem oſſa omnia, & diſſoluta nervorum compago; heu quid dicam? ut clavus ille acerbum vulnus infixit, dextera illa delitioſa ſic ſanctà ſtatim ſanguinem acervum evomuit, cruorque denſus effluens, dexteram ipſam, & lignum cui inhærebat pœnitus madefecit. Sanè in illius Crucis ſanctiſſimæ tranſverſali ligno, duo fuerant facta foramina tantum ab invicem diſtantia, quantum manus pretioſiſſimæ dulciſſimi Jeſu, una diſtabat ab altera, ut facilius poſſent clavi infigi ligno. Altera igitur manu confixa, mox ſanguis, & humores cuncti ad manum fauciam decurrunt; undè factum eſt, ut attracti ſunt nervi, adeò ut manus altera ad ſuum foramen attingere nequaquam poſſet. Igitur ligata manu cum tenaci corda, violenter traxerunt immanes tortores, manum ipſam ſiniſtram, ut ſimili modo configerent, quam & ſimili perfodientes vulnere, ligno tenaciter inhærere fecerunt. Crede quidem, nec dubites, ò anima mea, quòd tantò intenſior extitit dolor iſte ſecundus, quantò prior nondum remiſſus fuerat, undè dolor dolori additus, ipſum Dominum in ſyncopim factum, & velut exanimem animam penè exalare coegit; tunc diſtenta ſunt omnia pretioſiſſima corporis oſſa, & nervi protracti, ita ut numerari poſſent, utpotè, quæ fuerant ſola livida pelle conte-

cta, ſanguine pœnitus exhauſto. Tunc illud verificatum extitit, quod de eo Pſalmiſta prædixit. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea. Heu res terrifica, affatu horrida, ò anima mea, videre Agnum immaculatum tuum Jeſum crucifixum, tuum Regem condemnatum morte! Ecce homo mitis, & innocens involutus in ſanguine. Intuere quæſo fixis in illa vulnera oculis, & interna pietate conſidera illud corpus, ſuper horrida Cruce graviter laceratum; attende, & vide ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor ejus. Et licet non ignores, quid boni illa tibi conferat paſſio; tamen, ſi qua ſunt in te pietatis, ſi qua compaſſionis ſigna, charitatis, pietatis, viſcera affecta compatere, & emitte lachrymas, & clamans, dic: vulnera, & perfodi cor meum dulciſſime Jeſu, ut in hiis tuis vulneribus conquieſcat; imprime firmiter cordi meo dulciſſimos clavos illos, confige clavis ipſis carnes meas.

Sed nunc ultra progrediamur; confixis igitur manibus, arripiunt ſacratos ipſius Domini pedes, & pedem alterum alteri ſuperponentes, clavo longiſſimo ligno connexere. Extimo quidem, quòd cum ex oſſium magnitudine, ac duritie, nervorumque denſa congerie, clavus ille non facilè pedes fodere potuiſſet, neceſſe fuit, ut alio acuto ferro pedes foderentur, vel ſi ipſo clavo foramen infixum extitit,

vio-

violentis malei ictibus, dolorem indicibilem præcedentibus adjecit doloribus. Heu mihi, heu mihi, & iterum, heu pie Jeſu, dulcis Jeſu, chare Jeſu, quomodo te extenſum in Cruce video. Ita jaces coangustatus undique, ut te movere non valeas, niſi duntaxat in capite. In hora etenim, & in tempore illo flebili ſpatioſa terræ latitudo tibi defecit, ut non haberes, ubi caput reclinares feſſum. O bone Jeſu, quàm acerrimos dolores toleras, & ultrà quàm dici, vel excogitari poſſit, affligeris, video te Domine mi nudo corpore vento, & frigori expoſitum, ſed veſtitum amore, & calore inflammatum, à planta pedis uſque ad verticem, à leva in dexteram, interius, & exterius cruciatum! Heu mihi, ubi jaces mitiſſime Jeſu? Ubi cubas? Ubi reſidet corpus illud venerandum, quòd Angeli in Cœlis tanto venerantur honore? Heu quàm acerbus eſt hic lectus tuus pie Domine, quàm horridus ſtratus, quàm aſperum ſedile, quàm durum, pretioſiſſimi corporis reclinatorum? Quomodo nunc jaces confixus Cruci? Cerno te ſpatulis laceratis ſuper duro patibulo reſidentem, ſic afflictum, ſic deformem, ſic deſpectum, quaſi exanguem, & ſpiritum emittentem. O miſeranda compaſſio, & magno fletu deploranda, Domini mei afflictio ſic acerrima. Quid feciſti dulciſſime Domine, ut ſic acerbè tractari debeas? Quid mali

geſſarunt membra illa ſanctiſſima, ut tanta debeant imanitate torqueri. Equidem tù nil peccaſti, nil feciſti, niſi quòd nimis amaſti, ſola ad hoc te compulit charitas; ego Domine ille fui, pro quo tanta ſuſtines. Et heu me infœliciſſimũ, quia omni plenus ingratitudine, non attendo ad pœnas tuas. Miſerere mei miſericordiſſime Domine, quia, ut deberem, tibi minimè compatior, nec dolores tuos ſentio, quos in tuo pretioſiſſimo corpore luis pro me: heu mihi, quia non tanto comprimor dolore, ut tui amore deficiam, ò bone Jeſu. Sicut tù pro mei amore mortuus es. Sed ignoſce quæſo clementiſſime Domine, quia cor adeſt ferreum. Et niſi ipſum mollifices, tibi compati neſcit, aut certè non poteſt. Aut cur non invehor in meipſum miſerum, quippe & omni infęlicitate miſerrimum, quia pro te dolorem modicum compati nequeo, qui tanta pro me incommoda ſuſtinuiſti. Ego dormio in molli ſtrato, & tù jaces ſuper horrido Crucis ligno nudus, & frigoris tempore, dum alii ad prunas ſedent. Ego ſi fortè caput doleam, tenero ſuperpono cervicali, & tù benigne Domine, caput tuum ſanctiſſimum, totum tenebratum, totum cruentatum, ſuper acutiſſimarum ſpinarum corona reſpoſitum tenes; ſed audi anima mea, quomodo affligere nõ deſinunt pium Jeſum. Offerunt enim ſibi vinum myrrhatum, &

amarum, cum felle mixtum, ſed ſitiens pius Jeſum, cum guſtaſſet, noluit bibere. Quid verò putas agebat pius Jeſus, dum eum ſic Cruci figerent. Credo ſanè, quòd ex intenſo dolore ſuſpiria ab alto trahebat pectore, & gemitus, & voces interdum quærulas efferebat, cogebat, ut arbitror vehemens anguſtia ſudores per totum corpus effluere. O dulciſſime Domine, non erat, qui ſudorem detergeret. Non approximare poterat pia Mater. Nec erat qui ſubſidium preberet aliquod, vel ſolamen. Dumque ſic torqueretur Agnus manſuetiſſimus, jam confixus Cruci, Cruce adhuc in terra jacente, primum verbum protulit, orans pro ſuis crucifixoribus, & dicens. Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Hoc primum verbum eſt, quod in Cruce protulit Dominus Jeſus.

Attende, ò anima mea verba dulciſſimi Jeſu; attende patientiam mitis Agni, in tantis enim preſſuris non querellæ, aut excuſationis, aut maledictionis verbum adverſus canes illos profert. Sed noviſſimè verbum benedictionis, quale à ſeculo non eſt auditum, ſuper inimicos ſuos effudit. Quid hoc viro manſuetius? quid benignius, ò anima mea vidiſti? vides quantam tranquillitatem ſervavit pietatis, non ſuam attendit injuriam, non pœnam reputat, non ſentit contumelias, ſed ipſis potius, à quibus patitur, ipſe

 com-

compatitur, à quibus vulneratur ipſe, medetur, vitam procurat, à quibus occiditur. O cum quanta mentis dulcedine, cum quanta ſpiritus devotione, in qua charitatis plenitudine clamabat. Pater ignoſce illis. Sic clama pro me, ò dulcis Domine, & commenda me Patri tuo, dicens. Pater ignoſce illi, &c. Sed ſequamur, quid de benedicto Jeſu in Cruce cõfixo factum fuerit. Erigitur ergo illa Crux ſanctiſſima, & in ſtipite ligneo fixo configitur. A dextris autem, & à ſiniſtris, aliæ duæ cruces duobus latronibus, ſuper ipſis ligatis, eriguntur. Cogita, ò anima mea, hìc cum grandi compaſſione, & commotione viſcerum, quantum tunc dolorem ſenſerit dulciſſimus noſter Jeſus in Crucis elevatione. Ex corporis namque ponderoſitate, pedum, ac manuum vulnera lacerata ſunt, & dilatata, atque ex magnis illis ſciſſuris, & fontibus Salvatoris, copioſi undique rivi ſanguinis profluxerunt. Erat autem Crux ſanctiſſima ex lignis tribus fabricata. Stipex namque, ſive truncus in terra defoſſus, cui Crux erat infixa, ex ligno cędri erat. Palus autem, ſive lignum erectum, de cipreſſo fuerat; quod quidem, ut creditur, longitudinem quindecim pedum habebat. Tranſverſale autem lignum de palma.

Hęc igitur Crux ſanctiſſima ſolum habebat tria brachia. In ſummo enim ligni

gni erecti erat lignum tranſverſale, ad ſimilitudinem literæ Thau; loco autem quarti brachii Pilatus deſuper tabulam poſuit, quæ de oliva erat; & hoc eſt quartum lignum. Erat autem tabula ipſa unius pedis, & dimidii, in qua ſcripſerat Pilatus titulum literis Hebraicis, Gręcis, & Latinis, Jeſus Nazarenus Rex Judæorum. Ex quatuor igitur lignorum generibus Crux fuerat fabricata, ex cędro, cipreſſo, palma, & oliva. Significat autem cędrus altitudinem contemplationis. Cipreſſus famam bonæ opinionis. Palma fructum juſtitiæ. Oliva verò lenitatem miſericordiæ. Cum ergo legiſſent Judæi hunc titulum, dixerunt Pilato. Noli ſcribere Rex Judæorum, ſed quia dixit: Rex ſum Judæorum. Quibus reſpondit Pilatus. Quod ſcripſi, ſcripſi. Milites autem Pilati, cum crucifixiſſent Jeſum, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem; & tunicam habebat autem ipſe benedictus Jeſus, duas veſtes, veſtem ſcilicet ſuperiorem, & tunicam inferiorem. De veſte ergo ſuperiori, quatuor fecerunt partes. De tunica verò, quia commodè ſcindi non poterat, ſortes miſerunt, quis eorum acciperet eam; utiliter enim, & commodè ſcindi non poterat, quia erat inconſutilis, & ſine ſutura, & reticulato opere facta, qualibus indumentis pauperes in Paleſtina uti conſueverant. Ideo-

que ne ſcinderetur, uni eorum integram pervenire maluerunt. Erat autem, ut dicitur, ad modum chirothecarum, ſeu birretorum, & quorundam aliorum opere facta dextrali, quam propriis manibus fabricaverat Beata Virgo. Ipſa quoque tunica, Jeſu creſcente, paulatim creſcebat. Et erat deſuper contexta per totum, quia, ut dicitur, ad exemplum per totum de panno alio erat appoſitum, ad eam fortificandam, undè ſecundum Chryſoſtomum hoc dicens. Evangeliſta occultè veſtis vilitatem inſinuat. In Paleſtina enim eſt quoddam genus veſtium, propter pauperes, ex multis pannis contextum, quaſi unus pannus ſuper alium. Hanc igitur tunicam non diviſerunt, ut Scriptura impleretur, dicens. Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Nunc vertens ſermonem ad te, ò Jeſu dulciſſime crucifixe, quem ſic in Cruce conſpicio patulis brachiis, & apertis ulnis aſtantem, me peccatorem quæſo ad te revertentem non renuas, ſed ſuſcipe me ad pedes ſacratiſſimæ Crucis. Jam enim te cerno in Cruce, manibus expanſis, extenſum, quaſi paratum me recipere ad amoroſum amplexum tuum, inter brachia tua vivere volo, & mori cupio, ibi ſecurus decantabo. Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me. Da mihi pie Jeſu, ut cum Apoſtolo dicere valeam,

Chri-

Chriſto confixus ſum Cruci. Confige clavis timoris tui carnes meas. Præbe mihi, ut totus totaliter carne, & ſpiritu tranſigat, & Crucis tecum affigar patibulo, nihilque ſentiam, niſi Jeſum meum, & hunc crucifixum. Et clamabo toto corde: Quis mihi det, ut pro te moriar Deus meus. Mirari te non ſufficio, bone Jeſu Salvator meus, & liberator meus, qui ut Chyrographum illud deleres, manibus, & pedibus conclavatis, ligno ſalutiferæ Crucis affigi voluiſti, clavis invictiſſimæ charitatis delens per hoc Chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tuliſti de medio, affigens illud Cruci. O quàm libenter Crucem aſcendiſti pie Jeſu, quantoque amore omnia pro me ſuſtinuiſti. O cum quanta patientia obediſti. Quantumque Pater in tua obedientia oblectatus eſt. O anima mea quantas ibi voces, ac triſtes ululatus, & gemitus ab amicis ſuis, & præcipuè à Matre ſua mœſtiſſima audiviſſes, cum ſic crudeliter extenditur, clavatur, & foditur, & toto corpore diſſipatur. O ſtupor, & pietatis abiſſus. O charitatis incendium! O mira circa me tuæ pietatis dignatio! O inextimabilis dilectio charitatis! Confige timore tuo carnes meas, ut præceptis tuis firmiter inhærens ſemper tibi confixus ſim Cruci.

⁂

Meditatio de deriſionibus factis per Judæos Domino Jeſu, cum in Cruce levatus eſſet, & latrone ipſum blaſphemante, & de ſecundo verbo, quod in Cruce Jeſus ipſe protulit.

JAm erectum eſt ſalutiferæ Crucis vexillum. Jam ſtat Agnus innocentiſſimus in Cruce ſuſpenſus, pedibus, & manibus conclavatus; ipſo quoque benigniſſimo Jeſu ſic crucifixo, eriguntur & duæ aliæ cruces, una à dextris ipſius, altera à ſiniſtris, in quibus & duo affiguntur latrones; poſuit autem Pilatus ſuper Crucem tabulam literis Hebraicis, Græcis, & Latinis conſcriptam, talem continentem titulum. J. N. R. J. Quem titulum ubi Judæi perlegerunt, invidi dixerunt Pilato. Noli ſcribere Rex Judæorum, ſed quia dixit: Rex ſum Judæorum. Quibus Pilatus reſpondit. Quod ſcripſi, ſcripſi. Tunc milites, qui eum crucifixerant, ſumptis veſtimentis ejus, veſtem in quatuor diviſerunt partes, & ſingulam partem quiſque accepit; ſuper tunica verò, quæ inconſutilis erat, deſuper contexta per totum, ſortem miſerunt, quis eorum eam acciperet, nolentes eam ſcindere, ut impleretur Scriptura, dicens. Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Stabat autem populus expectans, & deribant eum Prin-

cipes

cipes cum eis, dicentes. Alios ſalvos fecit, ſeipſum ſalvum faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes illi, dicentes. Si tù es Rex Judæorum, ſalvum te fac; prætereuntes blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes. Vah qui deſtruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas, ſalva temetipſum. Si Filius Dei es, deſcende de Cruce. Ipſorum quoque latronum, qui crucifixi erant cum eo; alter blaſphemabat eum, dicens. Si tù es Chriſtus, ſalva temetipſum, & nos. Reſpondens autem alter, increpavit eum, dicens. Neque tù times Deum, qui in eadem damnatione es. Et nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali geſſit. Et dicebat ad Jeſum. Domine, in mente me habe, dum veneris in Regnum tuum. Et dixit illi Jeſus. Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.

Nunc penſemus hic paulìſper, ô anima mea, antequam ultra progrediamur. Ruminemus omnia hæc, & ſæpius mente revolvamus. In his diutius immoremur, & hiis ſapidiſſimis paſcamur epulis. Redi ad te, ô mens mea, quæ ſic vagaris; dirige te, & totam te converte ad dilectum Jeſum tuum in Cruce pendentem. Venite lachrymæ meæ, & faciem meam obruite veſtro imbre. Venite ad pedes dulciſſimi Jeſu in Cruce confixi. Et ſicut de

pedibus ejus ſacratiſſimis, & manibus ſanguinis fluvius ad terram defluit, ſic fluant de oculis meis lachrymæ, & cum ſanguine vulnerum Domini mei commiſceantur. Venite, ô gemitus crebri, & dolentia ſuſpiria, à cordis profundo prodeuntia. O cor meum ſaxeum, & durius adamante, ſcindere, & totum liqueſias. Ecce etenim in Cruce ſic acerbè confixus pendet dulciſſimus Jeſus. Nudus jacet dilectus noſter in patibulo, ſicut exivit de utero Virginis. Quomodo non madeſcit tota lachrymis facies mea, dum faciem illam intueor Jeſu mei. Conſpice ipſam, triformi colore depictam. Ibi candor virgineæ carnis, ibi nigredo, quia livida tonſionibus flagellorum, ibi rubor cruoris effuſi. O clementiſſime Jeſu, quàm multa occurrunt compaſſione digna. Quanta te pati convicia video dulcis Jeſu. Non ſufficit hiis Judęis impiis tanta in te exercuiſſe ludibria, quibus tota nocte, & uſque ad horam, qua te patientiſſimum Cruci affixere, animam tuam repleverunt, immo & omni pudore rejecto, ſcelerati Principes Sacerdotum, cum Scribis, & ſenioribus Judæorum, de Civitate exeuntes ad locũ crucifixionis, tibi Agno manſuetiſſimo inſultare non erubeſcunt, dicentes. Vah, qui deſtruis Templum Dei, & alia quamplurima convicia cumulantes, & impetu ducti furibundo, ad tantam proruperunt inſaniam, ut in feſtivi-

ſtivitate dierum ſanctorum non erubeſcentes populum, contra omnem conſuetudinem exierunt ad locum ſupplicii morientis juſti. Inſuper & inſania miſeranda repleti in dilectum Jeſum morientem contumelias iniciunt, & opprobria, exclamantes magnis vocibus contra pium Jeſum per totum corpus ſanguine madefactum. Sed attendamus, & intueamur, ò anima mea benigniſſimi Jeſu largitatem immenſam. Ecce quid inquit, & ſecundum verbum, quod protulit in Cruce levatus. Ecce Paradiſum promittit latroni, dicens. Hodie mecum eris in Paradiſo. O bone Jeſu, quàm largifluam charitatem huic latroni demonſtraſti. Dulcis Jeſu licet tota vita tua fuerit noſtræ redemptionis meritum, in tuæ tamen mortis acerbo ſupplicio facta eſt electorum copioſa redemptio. O fœlix latro, ſuper quem divina bonitas mira liberalitate ſic effuſa eſt. O quàm affluenter repleta extitit muſto inebriantis amoris dulciſſimi Jeſu. O quàm excellentes tibi infuſæ fuere virtutes. Credidiſti Dei Filium, quem videbas, ut hominem infirmum contumelioſa morte finire. O grandis fides; ab illo ſperaſti ſalutem, quem in corpore proprio omni cernebas virtute privati. O quanto charitatis ardore dilexiſti crucifixum Jeſum, quem tibi Paradiſum pollicentem audiſti. Quicquid habuiſti, ò latro venerande, ipſi Jeſu immolaſti

laſti in ſacrificium perfecti amoris, manibus enim, & pedibus crucifixus non niſi de corde, & lingua eidem ſervire potuiſti. Undè & meritò Salvator tibi promittit, quòd hodie ſecum eris in Paradiſo.

Attende, ò anima mea, quàm ſingularia privilegia gratiæ in hoc latrone fulſerunt, ſolus enim inter membra Chriſti paſſus eſt Crucis ſupplicium, quia crucifixum aſſociavit. Solus cum glorioſa Virgine Jeſum morientem flevit, ut Deū. Ipſe quoque in Cruce pendens, innocentiam Jeſu publicè prædicavit, increpans ſocium ſceleſtum, & malignos Principes Judæorum, poſt tam duras contumelias illatas Salvatori, non ſatiatos de ejus ſuppliciis aſpera increpatione confundens. Undè benignus Jeſus ſingulariter dixit: Hodie mecum eris in Paradiſo. Per hoc inſinuans, quòd ipſum tunc Rex crucifixus, ſic collateralem militem ſecum ſtrenuè compugnantem, ad Regnum cœleſte producere voluit.

Obſecro igitur te benigniſſime Jeſu, ut ſicut hic latro potentiſſimus tecum in Cruce mortuus, tecum ſocius advenit ad Regnum tuum, ſic mihi tribuas peccatori impio, vero latroni, ut tibi perfectè commoriar. Et de his, quæ erga te commiſi, perfectè doleam ſicut ipſe, ut tua benigna miſericordia eidem latroni in fruitione tuæ viſionis beatæ ſocium in Paradiſo conjungar. Et ut facilius aſſequi poſ-

ſim dulcis Domine, tui amoris ignem in me accende: hoc enim fervētiſſimo amore tuo ardens, hìc latro ſanctiſſimus auſus eſt dicere. Memento mei Domine, cum veneris in Regnum tuum, propter quod, quia dilexit multum, dimiſiſti ei peccata multa. O benigne Jeſu, nonne grandis tibi ineſſe debuerat dolor, cum de toto tuorum Diſcipulorum cœtu, totque tuis ſermonibus, & exemplis, ac miraculis converſorum, non unus inveniretur, qui in te perfectè crederet, ut tibi in Cruce pendenti, compaſſionem impenderet, tuaque tam acerba tormenta defleret? Qui immò hoc ſolo latrone, te in Cruce confitente, omnes dilecti hinc inde diſperſi, ſolum te in Cruce morientem liquerunt, ſolo Joanne dumtaxat excepto, qui & juxtà latus tuum doloroſè deplorans Deitatem tuam, plena fide non credidit; ubi eras tù, ò Lazare de nobilibus Hieruſalem, timebas forſitan, ne tibi vitam reddere poſſet, pro ejus amore expoſitam, qui eam tibi reddiderat naturæ conditione ſublatam? Ubi & vos eratis, ò cęteri, qui ab eo tot corporalia, & ſpiritualia beneficia recepiſtis.

Defleamus ergo, ò anima mea Jeſum noſtrum, ſic ſolum in Cruce relictum. Non enim eſt inventus, qui redderet Deo gloriam dignam morienti, nec ſibi compateretur, niſi hic alienigena latro. Voca igitur me, ò dulcis Jeſu, & trahe me ad

Cru-

Crucem tuam, ut tibi comes exiſtam, cum latrone, & te cum ipſo confitear, & crebro lachrymarum profluvio, tibi ſic morienti compatiar. Et ſcelera mea deplorare non ceſſans, dicam. Domine, memento mei, cum veneris in Regnum tuum. Et tù mitiſſime Domine, qui latronem non ſprevisti, meque ſuſcipias, & tua benigna miſericordia in Regno tuo me colloces cum latrone.

Meditatio de planctu glorioſæ Virginis Mariæ juxtà Crucem, cum Maria Magdalena, & Joanne Evangeliſta, cum Dominus Jeſus in Cruce levatus eſſet, ipſius quoque Domini Jeſu flebili compaſſione ad Matrem, & de tertio verbo, quod in Cruce protulit.

VIdimus, & mirati ſumus, ò anima mea dilectum Jeſum in Cruce pendentem, & impios Judæos contra eum multifariis convitiis, & deriſionibus inſultantes, latronemque ipſum confitentem Deum, miſericordiſſimum Jeſum Cœlorum illi Regnum promittentem.

Nunc oculos circa Crucem giremus, & venerandum cœtum deplorantium pium Jeſum devotè intueamur, ipſiſque jungamur, & ſecum dilectum Jeſum defleamus. Stabat juxtà Crucem Jeſu Mater ejus, & ſoror Matris ejus Maria Cleophe, & Maria Magdalena, & Diſcipulus Joan-

nes, quem diligebat Jeſus. Quæ mens ità arida ſine lachrymis, & ſuſpiriis reminiſci poterit ineffabilium dolorum, acerbarumque anguſtiarum glorioſæ Virginis? O Virgo ſanctiſſima, præbe mihi lachrymarum profluvium, & trahe me tecum ad Crucem dilecti Jeſu, ut tecum amariſſime fleam. Ediſſere mihi immenſos dolores tuos. O Virgo beatiſſima, ut ex eorum narratione; ego quoque ad gemitus provocer, & crebros ſingultus. Cerno te, ò dulciſſima Domina juxtà Crucem dilectiſſimi Filii tui, & Domini mei ſtantem, gemebundam, & inenarrabili dolore confectam. Quomodo ergo miſer ego ſine compaſſione tranſibo, dum te ſic plorantem aſpicio, & Agnum innocentiſſimum intueor pendentem in altum, expanſis manibus, & Crucis ligno confixis? Manat undique ſanguis ex corpore illo ſanctiſſimo. Facies generoſa tota madeſcit ſanguine, qui deſcendit ex capite corona ſpinea perforato. Frons illa auguſtiſſima prius immenſo rutilans fulgore, modo ex foraminibus, & puncturis plena undique cruoris emittit ſtillantes guttas. Stant ſparſi hinc inde pretioſi crines, incompti, & ſine ullo ordine in globos reducti, & denſitudine ſanguinis coagulati. Stat inferius juxtà Crucem Mater ejus dulciſſima, quaſi exanimis, & mortiferum geſtans colorem, faciem ferens totam lachrymis irrigatam, dolentes efferens gemitus,

mitus, & de profundo cordis alta trahens ſuſpiria. Erigit ſurſum oculos, ut aſpiciat dilectum Filium ſic pendẽtem. Cernit ſereniſſimam ejus faciem totam ſanguine exundantem, videt & ſanguinis acervos de ſacratis manibus, & pedibus inceſſanter effluere, velut pluviam ex domorum tegulis decurrentem. Et coram ſe terram inferius aſpicit totam ſanguine rubricatam. Heu, quæ lingua fari, quis calamus ſcribere, quæve mens poterit cogitare amaritudines dolorum viſceribus Matris inflictas? Equidem dolores ſui in amore fundati fuerant; undè & rationes amorem intendentes, intendebant pariter, & dolorem. Tantò plus dolebas, ò dulciſſima Domina, quantò plus diligebas, quia ipſum noveras Filium Dei ex te naturaliter genitum. Ità dolebas vehementer aſpiciens Filium Dei ſic horribiliter tractari, vilificari, & occidi in aſſumpta natura, & de tuis concepta viſceribus, dolebas vehementer, ò Domina gloriosa, aſpiciens quod dilectus Filius tuus, omnes dolores in ſe portabat, & ſicut benigniſſimus Filius tuus omnium Redemptor fuerat, ità tù omnium Genitrix, mediatrix, reconciliatrix, excuſatrix, & advocata omnium peccatorum, tantum à Sancto Spiritu recepiſti immiſſum dolorem, quantum ſufficiebat ad mundi ingratitudinem excuſandam, quia ſic dura morte de mundi fabrica ſuum

expel-

expellebat auctorem.

Dic mihi, ò Domina mea dulciſſima voces lamentabiles, quas efferebas, oculos ſurſum elevans ad pendentem Jeſum. Sanè, ut extimo, non poterat ex dolore plenè verba proferre, ſed quas poterat ſubmiſsè queṛulas emittebat voces. Nunc Filium alloquens, nunc ad Patrem lugubrem dirrigens ſermonem. Hæc, vel ſimilia ad Filium proferebat verba. Fili dulciſſime, quomodo te video ignominioſè tractari. Heu mihi miſerę, quàm acerbis, & gravibus pœnis deficere te conſpicio. Mors tua non mihi pœnam affert, ſed angunt me tormenta, quæ pati te cerno. Attamen, & dura eſt mihi mors tua, quam propinquam fore video. Aſperum mihi quippe eſt, ut à te ſeparer Fili dulciſſime. Quis enim mihi ſolatium amplius dare poterit? Quis mihi conſilium præbebit, aut ſubſidium? Vita de cętero tædium mihi erit, cum à te dimiſſa fuero. Suſcipe igitur Fili dulciſſime Matrem tuam, ut tecum moriar in Cruce. Dehinc Virgo glorioſiſſima ſurſum ad Cœlum erigens oculos, crebra efferens ſuſpiria, Deum Patrem ſic alloquebatur. O Deus omnipotens, numquid ego ſola Mater, & tù non es hujus dolorati, & tui unigeniti Pater æternus. Cur igitur me ſolam flere permittis? ubi quæſo eſt amor tuus, quem in monte expreſſiſti, dicens. Hic eſt Filius meus dilectus, & cętera? Numquid

quid quia à Judæis rejectus, à Diſcipulo traditus, ab Apoſtolis relictus, & quia ſpinis coronatus, quia facie conſputus, quia toto corpore flagellatus, & quia nunc diris cordis, & corporis doloribus cruciatus, ideo tuus deſinit eſſe Filius. Ecce quia nulla ad ipſum compaſſione noveris. Numquid ego ſola infœlix debeo flere Filium, quem non ſolum poſſedi dilectum? Cur mihi Matri ſocietatem frangis, qua me tibi per Spiritum Sanctum in matrimonium ſuſcepiſti in unius generatione dilecti? An quia Deus es, ideo bonus non es? An quia omnipotens es, inſenſibilis es? An quia tù ubique præſens es, non intueris opprobria, & dura cordis jacula, atque anguſtioſa cordis vulnera, quæ perſona dilecti Filii mei ſuſtinet in aſſumpta natura. Noli ſic immiſericors eſſe Pater, quia Pater es miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. Solare pauliſper dolentem Matrem, ipſamque aſſocia ſolitariam, atque mœſtiſſimam, quam uſque nunc in obſequiis Filii tui fidelem probaſti ancillam, & ſuper quam tuæ dilectionis viſcera effudiſti. Hæc, & quamplura ſimilia proferens verba mœſtiſſima Mater, ſurſum ſæpius levabat manus, ſi dilectiſſimum poſſet contingere Filium. Sed præ Crucis altitudine non valens attingere, ingenti doloris anguſtia, ad terram cadere cogebatur. O bone Jeſu miſerere mœ-

mœſtiſſimæ Matri tuæ. Quid putas, ô anima mea tunc agebat pius Jeſus, cum ſic mœſtam, & lugubrem cernebat Matrem? Quantò exiſtimas compaſſionis feriebatur telo, quando materna contuebatur viſcera, omni ſuæ compaſſionis amaritudine plena, necnon & ipſam faciem pallidam, & quaſi ſine morte mortuam, ſuique ſacratiſſimi ſanguinis manibus, ac veſtibus, ac facie cruentam, gemitibus anxiam, vocem raucam, lachrymis profluam, caſuum ictibus ex voluntate ipſum tangendi, colliſam, omnique conſolationis ſocietate privatam. O benigniſſime Jeſu, verè magnam, & novam amaritudinis Crucem ex tuę Matris conſortio tali pro nobis peccatoribus aſſumpſiſti.

Meditare, ô anima mea, ſed non ſine lachrymis, venerandam illam concionem, lugubrem, mœſtam, & ineffabilibus refectam doloribus, glorioſiſſimam videlicet Genitricem, dilectum Diſcipulum Joannem, charamque Diſcipulam Mariam Magdalenam, omnes juxta Crucem, acerbum facientes lamẽtum, & dulciſſimum Jeſum ſupra in Cruce confixum eorum gemitus, lachrymas, & amara ſuſpiria intuentem. Ipſum quoque Jeſum ex compaſſione materna lachrymas effundentem ſecum: heu quæ mens torpida, quæ tota non reſolvatur gemitu, & fluvium non effundat lachrymarum, conſiderans,

& de-

& devotè intuens hunc Agnum manſuetiſſimum in Cruce confixum, & ſanguine, & lachrymis totum aſperſum? Fluebant ex illis limpidiſſimis oculis creberrimæ lachrymæ, & ex fronte ſereniſſima guttæ ſanguinis decurrebant, quas corona ſpinea, quæ totum caput confoderat, exire cogebat, ſicque lachrymæ ſanguini admixtæ ſacratiſſimam irrigātes faciem, ſupra Matrem inferius reſidentem decurrebant. Quid igitur mirum, ſi totum maternum cerebrum defluebat in lachrymas, quando, & totum Filii corpus fluere ſanguine, & oculos ejus lachrymis, quaſi fontes effluere, ſuo doloroſo contuebatur aſpectu.

Quis etiam dicere valeat, quantis conſcindebantur doloribus, quantiſque ſuſpiriis angebantur, dilectus Diſcipulus Joannes, & Maria Magdalena, qui ab ipſo bono Jeſu tot ſigna dilectionis acceperāt. Credendum ſanè, quod hii duo dilecti totaliter reſolvebantur in lachrymas, & mentis eorum precordia intenſo ſcindebantur dolore, aſpicientes dilectum tam doloroſo flere ploratu, totumque laceratum, & ſanguine cruentatum in duro ſui corporis cruciatu. Heu quis referat lamenta, & querula verba Magdalenæ, erga Dominum Jeſum dilectum? Arbitror quidem, quòd copioſis reſperſa lachrymis, & ſingultibus plena æthera clamoribus rumpebat, dicens. O chare Magiſter.

O ſingulariſſime Domine mi. O unice mi benefactor, jam amplius ſine te vivere neſciam. Heu me miſeram, quia cerno, quòd à me ſeparaberis dulciſſime Magiſter. Heu quantis te video pœnis affligi, horrorem mihi ingerunt, quæ pati te video Magiſter optime. Aſpicio caput tuũ, quod unguento perunxi, modo fractum, perfoſſum, & vulneribus plenum. Cerno manus, & pedes, quos lachrymis rigavi, nunc ſanguine cruentatos, plura alia efferebat voce querula, & flebili dilecta Diſcipula. Nec modico etiam dolore compreſſus fuerat charus Diſcipulus Joañes. Plorabant ſimul omnes indicibili mœrore capti, vere, ò dulciſſime Domine, hii, quòd te ferventiſſimè diligerent, demonſtrabant, quia te uſque ad mortem, imò quouſque fuiſti ſepultus, non liquerunt, ſed continuò ſecus Crucem ſtantes cum lachrymis, ſingultibus, ſuſpiriiſque intenſis omnia cernebant, quæ dilecto inferebantur Magiſtro. Audiebant voces illas terrificas Judæorum, convitia quoque improperantium: hæcque dolorem cumulabant dolori, cum Dominum ſuum non ſolum tormentis, & pœnis in corpore, ſed etiam opprobriis conſpicerent cruciari.

Nunc ad meipſum me convertẽs quid dicam ò benigniſſime Jeſu? Heu me infelicem, quia conſidero, & cogito Matrem tuam, & charos Diſcipulos te juxta Cru-

cem plangentes, & ſecum non defleo, ut deberem. O dulciſſime Jeſu, cur non ibi merui pręſens eſſe ad Crucem tuam? Forſitan plus ploraſſem, cum charam Genitricem, & Diſcipulam flentes conſpexiſſem. Sed & ſi ibi non, ò benigniſſime, Domine potero, & modo ſi præſtiteris & te in Cruce aſpicere pendentem. O pie Domine da capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, quia aliunde haurire aquas non potero, niſi de fontibus tuis Salvatoris mei. Caligent oculi mei à fletu meo. Exite, exite lachrymæ, & irrigate pedes Domini. Cur erubeſco impius lachrymas effundere, pro compaſſione Chriſti Domini mei. Ipſe enim pro me continuò flevit, toto vitæ ſuæ decurſu. Continuum habuit ſpiritualem fletum contritionis offenſionum mearum. Flevit quoque non ſolum fletu mentali, ſed & corporalibus oculis flevit parvulus in pręſepio, & in Matris gremio ſæpe martyrio vagitus dedit. O benigniſſime Jeſu qualibus agitabatur affectibus mens illa virginea, cum te Deum, parvulum ſui uteri Filium in brachiis ſuis flentem cernebat. Puto equidem, quòd ipſa copioſiſſimas lachrymas tuis fletibus jungebat. Bone Jeſu quid feciſti? quid docuiſti, & dixiſti? Beati qui lugent. Non igitur teipſum hujuſmodi beatitudinis benedictione privaſti. Et non ſolum in vita abundavit in te fletus, ut in reſur-

rectione Lazari,& in aſpectu civitatis inſipidæ, ſed quàm maximè in patibulo Crucis abundè fleviſti, quod & Apoſtolus Paulus teſtatus eſt, dicens: Cum clamore valido, & lachrymis teipſum offerens expiraſti. Si igitur tot lachrimas pro me fudiſti, ò Jeſu mitiſſime, nonne ego ingratiſſimus cenſebor, ſi tecum non lugeam, tibi taliter afflicto compatiens? Trahe me, ò bone Jeſu, ad Crucem tuam, ut tecum, & cum dulciſſima Genitrice tua, chariſque Diſcipulis lachrymas inceſſanter fundam.

At nunc proſequamur dolores Virginis glorioſæ. Plangit Filius dilectus ex compaſſione materna, plangit Mater, & Diſcipuli. Et benigniſſimus Filius, ut dolorem Matris aliqualiter mitigaret, ſubmiſſa voce, paucula hæc edidit Matri verba: Mulier deſine flere, & mœſta eſſe, nec mea morte triſteris; nam ecce hic dilectus Diſcipulus meus Joannes filius tuus erit. Deindè dicit Diſcipulo. Et hęc mater tua erit; hoc quoque tertium verbum extitit, quod in Cruce protulit pius Jeſus. O qualis doloris gladius fuit verbum iſtud glorioſæ Virgini! Ipſa igitur vix valens verba formare, ſuſpiciens in benignum Filium, tota lachrymis madefacta, tremula voce dicebat. Heu, quæ ſunt hæc quæ audio Fili dulciſſime. Modica ſunt verba, ſed acerba quidem, & cordis mei viſcera penetrantia. Heu me

miſeram, quale commercium, qualis cõmutatio, jam ecce datum mihi audio Diſcipulum pro magiſtro, ſervum pro domino, mortalem pro immortali, creaturam pro Creatore, filium Zebedei pro unigenito filio Dei. Sed aliqualiter conſolata poſt multos gemitus, & quærula verba, tandem dilectum Diſcipulum aſſumpſit in filium. Ipſeque Diſcipulus eam acceptavit in matrem. O ſancte, & devote Diſcipule, quàm dulciter a Domino Jeſu fuiſti dilectus, tam in cęteris, quàm in comendatione materna. Equidem non mediocriter ampliatione virtutum ditatus fuiſti, hujus ſacratiſſimę Matris virtutibus, & exceſſivis meritis, ejuſque cordialibus affectibus inſertus, ex hac unigeniti Filii ſui commentatione præcipuè.

Te igitur oro dilectorum dilectiſſime, & verè dilecte Joannes, ut me peccatorem in poſſeſſionem ſacratiſſimi beneficii, materni amoris protectionis, & lavacri, & ſuarum ſacrarum virtutum optari participii continuis apud ipſam patrociniis introducas, ut vel modicum poſſit pungi inſenſibilitas cordis mei, dolorata memoria mortis Jeſu, ut ſicut piiſſima Mater tua ipſius Filii ſui morientis, aſſiſtens tota cordis internis viſceribus reſoluta fuit, ſic & mihi peccatori impetra ab hac miſericordiſſima Matre noſtra, ut aridum cor meum ſimili ſecum liquefa-

ctione totum in compaſſionis lachrymas reſolvatur. Teque oro, ò Virgo clementiſſima, collige ſanguinis lavacrum tui Filii, quo tanquam forti liſſivio poſſis meas abluere maculas, collige tuæ faciei pallores, ſuorum vulnerum dolores, ſuæ lamentationis cordialis dolores, inextimabileſque anxietates, compatere dulciſſima Mater mihi miſero. Nam amor inſatiabilis boni Jeſu, qui omni modo ſemper operatus eſt meam ſalutem, meis jam compatiens lapſibus, apud ſuam propriam juſtitiam, efficacem te mihi conſtituiſti advocatam. Quicquid enim volueris, ab eo impetrare poteris. Sed hoc unum à te poſtulo pia Mater, ut pro me impetres à dulci Jeſu, ut totus in ejus Filii tui amorem ardeam, ut ſecum commoriar, ſecum crucifigar, ubicunque me vertam, dulcem Jeſum crucifixum reperiam, quocunque conſpexero, ejus plagas intuear, & continuò meo cordi impreſſas defferam, ipſorumque vulnerum ſanguine ſic inebrier, ut cœterorum oblitus, nil aliud cupiam, niſi dulcem Jeſum, & hunc crucifixum. Cumque ſic concupitum habuero, ipſum teneam, cum tenuero nō perdam, ſed continuò in eo, ejuſque pretioſis vulneribus conquieſcam.

Meditatio de obſcuratione Solis circa horam nonam, & de quarto verbo, quod protulit in Cruce Dominus Jeſus.

PEndet in Cruce lux mundi, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Pendet Agnus innocentiſſimus, qui fecit Solem in poteſtatem diei. Et Sol ipſe præfulgens, dum ſic acriter ſuum pati cernit Auctorem, præbere deſinit terris ſplendorem ſuum. A ſexta etenim hora, in qua Dominus Jeſus levatus eſt in Cruce, obſcuratus eſt Sol, uſque in horam nonam, & tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram.

Vides, ò anima mea, quomodo & cœleſtia corpora de morte Domini Jeſu triſtata fuere. Ipſe verò dulciſſimus Jeſus paululus ante horam nonam laſſatus penitus, & afflictus clavorum vulneribus importabilem ſibi infingentibus dolorem ex multitudine ſanguinis, qui penè totus per vulnera effluxerat, pretioſa, propter ſudores, quos ex anguſtia magna perpeſſus fuerat, & ſubſecutum frigus, rigidus, & totus attritus, caput erectum tenere non valens, omnique ſe divino ſuffragio prorſus privatum conſpiciens, erigens ſurſum oculos ad Cœlum, voce magna clamavit, dicens. Heli, heli lamazabactani, quod interpretatur: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Clamabat

mabat dulciſſimus Jeſus ſuſpenſus in ſanctiſſima Cruce, Pater ſancte, Deus meus, reſpice in me, quia me dereliquiſti in tanto mentis ſuſpirio, & mœrore. Quid me ſic acerbè affligi, ità ut deficiam, nec undè reſpirare habeam, permiſiſti. O Pater mirifice, quid me in tanto angore dereliquiſti? qui non derelinquis clamantes ad te, & qui non derelinquis præſumentes de te. Crede quidem, ò anima mea, quòd ex multimodis afflictionibus, & coacervatis tonſionibus, & preſſuris, quas ſine requie noſter Jéſus perpeſſus fuerat, magnam patiebatur exterius amaritudinem, ſed longè plus cruciabatur interius, propter noſtram ingratitudinem. O bone Jeſu, tù tanta pro me pateris, grandes ſunt pœnæ, quibus afficeris, acerbi ſunt clavi, quibus confoderis. Et cum tantus ſit dolor exterior, interius tamen planctus eſt gravior, dum meam cernis ingratitudinem! Sed quid dicam pretioſiſſime Jeſu, dum te in tanta poſitus anguſtia, cerno ad Patrem clamantem, cur me dereliquiſti? Nunquid erga in meipſum inſurgam: Nunquid non invehar contra memetipſum, qui ſi quando me adverſis quibuſcunque, & tribulationibus oppreſſum ſentiam, ad modicum patienter ferre non valeo, à te ſi quidem me arbitrans derelictum. O ſuaviſſime Jeſu forma patientiæ, ſpeculum humilitatis. Si tù unigenitus æterni Patris Filius,

lius, in tantis poſitus afflictionibus, relictus fuiſti à Deo, ego miſer vermiculus quid quærar, ſi videar derelictus, cum tamen ſciam, quòd mecum es in tribulatione, eripies me, & glorificabis me, & qui juxtà ex hiis, qui tribulato ſunt corde. Scio igitur, quid faciam, cum me adverſis obſeſſum perſenſero, confugiam ad Crucem Domini mei Jeſu. Fugiam quippè ad pedes ſacratiſſimæ Crucis, ubi clamantem audiam Jeſum meum, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me.

Sic igitur facies, ò anima mea, cum te torpore, vel tædio, vel accidia, vel alia quavis moleſtia affici ſenſeris, noli propterea diffidere, aut deſiſtere à ſtudio ſpirituali, ſed propera ad Crucem dilecti Jeſu. Sede ad pedes dulciſſimi Jeſu. Leva oculos ſurſum, reſpice & dum clamantem audieris dilectum Jeſum, clama & tù ad ipſum, dicens. Trahe me poſt te, ò dulcis Jeſu, curram in odorem unguentorum tuorum. Non concidas animo, nec triſtior, quàm oportuerit, fias: ſed juvantis requiras manum, & clamans dic. Avertiſti faciem tuã à me, & factus ſum conturbatus. Sed tù, ò bone Jeſu, qui non derelinquis ſperantes in te, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Si ſic pulſans inſtiteris, non exibis vacua, ſed facta promptior, & alacrior dicens: viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti

taſti cor meum. Tù igitur ò bone Jeſu in anguſtia tribulationis poſitus, qui clamas ad Patrem. Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me, da mihi in omni tribulatione mea, & anguſtia, ad te clamare, nec me patiaris velut derelictum à tua miſericordia reprobari, ſed exaudias de Cœlo vocem meam, & facias cum tribulatione proventum, ut ſentiens me tua miſeratione ſalvatum, cantare poſſim gloriam, & laudem tuam, dicens. Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus ſum, & intendit mihi.

Meditatio de quinto, & ſexto verbo, quod protulit in Cruce Dominus Jeſus, videlicet. Sitio, & conſummatum eſt.

AUdiſti, ò anima mea dilectum Jeſum in tanta anguſtia poſitum, in Cruce clamantem ad Patrem. Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Poſt ipſa verò verba, cum magno mentis angore prolata, ſermonem ad Judæos vertit, dicens. Sitio. Aderant autem ibi Gentiles milites, ſcilicet Pilati, qui linguam Hebraicam perfectè non noverant, undè ut audierunt ipſum Jeſum clamantem. Hely, hely, putaverunt, quòd Heliam in ſuum auxilium invocaret. Et dìcebant ad invicem: Heliam vocat iſte. Mox verò, ut dulcis Jeſus dixit: Sitio, unus ex Miniſtris currens, accepit ſpon-

giam, ipſamque in vaſculo quoddam, quod ibi aderat, aceto plenum cum felle immergens, circumpoſuit eam cuidam calamo, ſurſumque levabat, ut potum tam acerbum præberet ſuaviſſimo Jeſu. Fuerunt enim qui dicerent, crucifixos citius mori, ſi acetum cum felle biberent. Ideoque milites acetum poſuerunt, ut citius à cuſtodia liberari poſſent, ſi citius moreretur. Qui autem ibi aderant, eum prohibere volebant, dicentes. Sine, videamus, ſi veniat Helias liberans eum. Ipſe verò Miniſter dicebat ad illos. Sinite me facere, talem enim ei præbeo potum, quòd os ejus torquebit, nec impediemus, quo minus videamus, an veniat Helias, quem vocat. Cum autem guſtaſſet Jeſus acetum ejus delicatiſſimo ori porrectum, addidit, & ſextum verbum, ſcilicet. Conſummatum eſt. Conſummatæ, ſcilicet erant omnes Scripturæ, quæ de ipſo locutæ fuerant.

Sed ſiſte hic pauliſper, ò anima mea, nunquid enim modica eſt adhibenda compaſſio dilecto Jeſu, nunquid poteris continere lachrymas, quominus gemens, & ſuſpirans loquaris ad dilectum Jeſum, dicens. O amantiſſime Domine. O pretioſiſſime Domine Jeſu, quàm magna dignus es compaſſione, qui uſque ad vitæ tuæ ultimum omnia ſuſtinuiſti incommoda, & in tuis tam multiformibus preſſuris nullum refrigerium recepiſti. O im-
dietas

pietas nepharia! O crudelitas deteſtanda perfidæ gentis Judaicæ! Denegatur enim poculum aquæ frigidæ Domino meo morienti, qui potens eſt dare aquam vivam, quam qui biberit, non ſitiet in æternum: heu dolor, heu compaſſio miſeranda! Aliis ſceleſtis quibuſcunque ultimo deputatis ſupplicio, potus nedum aquæ, ſed nec vini denegatur. Et ut arbitror hiis, qui cum Jeſu pendebant latronibus minimè denegatum extitit, ſed dilecto Jeſu ſic afflicto, ſic fatigato aqua modica prohibetur, immò illius loco acetum cum felle amariſſimo propinatur. Utinam ibi fuiſſem benigniſſime Domine, ut potum tibi potuiſſem dare cum lachrymis in menſura. O Mater Jeſu amariſſima! O dilecta Diſcipula! O chare Diſcipule Joannes, qui ad pedes ſtatis ſacratiſſimæ Crucis, qui omnes fluvium effunditis lachrymarum, juvate dulciſſimum Jeſum. Cur non datis potum dulciſſimo Jeſu. Aruit enim tanquam teſta virtus ejus, & lingua ſua adhæſit faucibus ſuis. O quantus dolor vobis, ut arbitror, inerat, cum ſic ſitientem audiebatis dilectum, nec ei ſuccurrere poteratis. Credas ſanè, quòd dilectus iſte Jeſus vehementem patiebatur ſitim, nedum ſpiritualem, ſed & corporalem. Cum enim dilectiſſimus iſte Jeſus doloribus cordis anxius, tot impiorum flagellis, & opprobriis, laborioſiſque vigiliis præteritæ no-

ctis fatigatus exiſteret, nec non & diſcurſibus, impiorumque ictibus, & tractibus impulſus, quibus fuerat ad locum ſupplicii Crucis contumelioſæ deductus, nec non tanto fluxu humorum lachrymarum, & ſanguinis in ſupplicio Crucis doloroſæ portato, non enim mirum ſi deſiccatus fuit, tàm corde, quàm omnibus membris. Et quomodo, ò Domine Jeſu, tantam ſitim ſuſtines? nonne tù es, qui clamabas: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat? Tù alios ſitientes facias, & tù ipſe ſiti ardeſcis; nonne tù es ille, ò bone Jeſu, qui Samaritanæ dixiſti, te habere aquam vivam, quam qui biberit, non ſitiet in æternum, ſed fiet ei fons aquæ ſalientis in vitam ęternam. Ego autem veniam ad te dulciſſime Jeſu, ut inebrier ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis me. Ad te fugiam ſuaviſſime Jeſu, qui ſitis meam ſalutem, liberationem. Nam ſitit anima mea ad Deum fontem vivum. Sedebo ad pedes ſanctiſſimæ Crucis tuæ, & gemitibus, ac lachrymis potum ſumam. Clamabo ad te Dominum Deum meum, Salvatorem meum, protectorem meum, & dicam. Sitio, ſitio benigniſſime Jeſu. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. O dulciſſime crucifixe immitte extremum digiti tui in uno ex pretioſis vulneribus tuis, & in delicatiſſimo Sanguine intinge, mittaſque in os meum,

veriùs in cor meum, ut refrigeret aridam mentem meam, quia in tui dilectione, aruit cor meum. O me fœlicem, ſi ad modicum liceret ſuggere minimam tui pretioſi ſanguinis guttam, quem pro me ad terram cerno defluere. Qui enim bibit tuum Sanguinem, in te manet, & tù in illo.

Sed attende, ò anima mea, quid ait benedictus Jeſus. Sitio, inquit. Sitim quippe in corpore patiebatur non modicam, cum enim naturaliter omnes morientes ſitiant, non eſt mirum, ſi pius Jeſus tot anguſtiis attritus, ſitim ſuſtinebat ardentem, eo maximè, quia Sanguinis effuſio ſitim cauſare ſolet, unde cum de illo corpore delicatiſſimo ſanguinis effluxerit copia, non eſt mirum, ſi fauces illæ ſanctiſſimæ pergrandi cruciabantur ſiti; ſed plus ſpiritualiter ſitit benigniſſimus Jeſus, quàm corporaliter. Audi dulce verbum, & totum inextimabili charitate, prolatum: Sitio, inquit, non doleo. Et quid ſitis, ò Domine? Non vinum de vite, aut aquam de flumine, ſed ſitis tua, ſalus mea, cibus tuus, redemptio mea. Tù fidem meam ſitis, ſalutem meam, gaudium meum, plus te urget animæ, quàm tui corporis cruciatus. Sic ſitias tù, ò anima mea, & deſiderā, ſicut deſiderat cervus ad fontes aquarum. Illum deſidera, illum ſitias, qui ſitivit te. Non te terreat intemperies aeris, moleſtia

carnis, & cordis, pugna cum vitiis, varietas fortunæ, & incertitudo temporis expectatio, & timor mortis, cur te retardat vita mortalis, & non te provocat vita vitalis, beatitudo fontalis, ſocietas, & lætitia ſpiritualis?

O benigne Jeſu, imprime ſitim vehementem, tui amoris mihi, ut ſitiat anima mea te Deum fontem vivum. Magna eſt multitudo dulcedinis tuæ Domine. Satia me, ò bone Jeſu aqua tua viva. Tù enim ſolus es, qui hanc ſitim ſedare poteris, quoniam apud te eſt fons vitæ. Pota me, ò dulcis Jeſu vino compunctionis. Fac me quæſo vinum devotionis cum myrrha mortificationis, ac felle pœnitentialis compunctionis tibi dignè offerre. Et da mihi acerbitatem calicis tui non horrere, ſed cum gaudio amplecti, & bibere ad ſalutem, ut pro amore tuo animę meæ ſitienti, amara dulcia, acerba ſuavia, inſipida ſapida videantur.

Meditatio de expiratione Domini Jeſu circà horam nonam, & de ſignis, quæ in morte ipſius viſa ſunt; & quomodo crura Latronibus fracta ſunt, & latus ipſius Domini Jeſu lancea perforatum eſt.

POſtquam Agnus manſuetiſſimus dilectus Jeſus dixit. Conſummatum eſt dum hora diei nona eſſet, ſigna, & indicia propinquæ ejus mortis cœpit prætendere,

dere, licet etenim continuò faciem terream, & lividam habuerit ex innumeris afflictionibus, quas ſine requie paſſus erat, ita ut ſi quis ſanctiſſimam illam faciem fuiſſet intuitus, hominis mortui judicaſſet. Nunc tamen propinquior factus morti, novam fecit in facie mutationem. Cœpit namque facies illa pretioſiſſima novo, & horribili pallore ſuffundi. Fauces illæ ſanctiſſimæ plus ſolito affligi. Et quaſi, cum continuè, dum in Cruce pependit, oculos ex gravedine ad terram defixos tenuerit, nunc tamen plus ſolito gravatos oſtendens, vix eos movere poterat, ſed intus fixos in capite retinebat. Tunc ſubitò de Cœlo affuit multitudo innumera Angelorum de Cęlo veniens. Illa enim ſanctorum Spirituum agmina Crucem ſanctiſſimam ſæpiverunt, ut egredienti glorioſiſſimę animæ, ſui Domini intereſſent. Credendum namque, quòd omnipotens Pater unigenito ejus Filio in exequiis, honorem debitum exhibere voluit, & ut Angelorum exercitus ejus adeſſet morti, quem omnis Cœlorum ordo veneratur, & adorat, & cui flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Cum enim legatur, quòd ſæpè ad funera, & ad ſepulturas quorumlibet Sanctorum veniſſe Angelos, & ad eorum exequias obſequia præſtitiſſe, & ſi ut piè creditur morienti ipſius Domini Jeſu Genitrici Cœlorum

lorum militia cum ſuis agminibus obviam venit, & eam ingenti lumine circumfulſit, & ſi naſcenti dulciſſimo Jeſu affuit multitudo cœleſtis Exercitus, credendum eſt meritò, quòd ipſi morienti, affuit omnis Angelicus chorus. Numquid putas, ò anima mea, quòd Angelica illa turba ſine mœrore, & compaſſione eſſe potuerit, cum Dominum ſuum in tantis poſitum anguſtiis cernerent? Si inſenſibilia corpora, ut terra, & lapides, velum Templi, & ſimilia mœſtitiam de morte Domini demonſtrabant, ſi Sol ei compatiens lumen non dabat, quomodo putabimus angelicos Spiritus de morte ſui Domini indicibili compaſſione non fuiſſe permotos? Igitur inſtante hora, qua anima illa glorioſiſſima de corpore erat egreſſura, piiſſimus Jeſus ex Angelorum pręſentia confortatus, caput quod demiſſum ex debilitate tenebat, ſurſum erigens, & oculos attollens, ad Patrem voce magna, & altiſona, ad inſtar ſani, & robuſti hominis clamavit, dicens. Pater in manus tuas comendo ſpiritum meum. Hiis dictis, caput deorſum inclinans, & oculos claudens, emiſit ſpiritum. Tunc illa ſanctiſſima Angelorum agmina illam glorioſiſſimam Animam aſſumentes ſuæ unitam divinitatis, ad infernorum profunda cum hymnis, & laudibus, & cantibus detulerunt, ut expectantes innumerabiles Populos, qui ligati in tenebris

nebris teuebantur, à Diaboli dominio liberaret, prout clarius exprimemus inferius.

Nunc autem audi, quæ ſecuta fuerint poſt emiſſum Domini ſpiritum, ſtatim etenim ipſa hora, qua noſter dilectus Dominus Jeſus Chriſtus ſpiritum tradidit, velum, quod erat in Templo, ſciſſum eſt medium à ſummo, uſque deorſum, & terremotus factus eſt magnus, petræque ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, qui exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam Civitatem, & apparuerunt multis.

Tunc videns Centurio, qui ad crucifigendum venerat, preſens cum ſtaret ex adverſo, quòd ſi clamans contra morientium omnium conſuetudinem expiraſſet, glorificavit Deum, dicens. Verè hic homo juſtus erat. Bernardus ſuper Cant. ſermone vigeſimo octavo. Niger erat Jeſus, ſed formoſus, niger reputatione Herodis, formoſus confeſſione latronis, & Centurionis fide, formoſus quoniam adverterat, qui exclamavit. Verè hic homo filius Dei erat, ſed in quo advertendum. Si enim attenderet, quòd apparebat, quomodo formoſus, quomodo Dei Filius, quid niſi deforme, & nigrum oculis inſpectantium occurrebat, cum expanſis in Cruce manibus, medius duorum

rum nequam riſum malignantibus daret, fletum fidelibus, & ſolus erat riſui, qui ſolus poterat eſſe terrori, ſolus honori debuerat; unde igitur advertit pulchritudinem crucifixi, & quòd ſit filius Dei, qui cum iniquis reputatus eſt. Reſpondere ad id aliquid, nec fas eſt, nec opus eſt, nec Evangeliſtę hoc diligentia prætérivit; ſic enim habes: Videns autem Centurio, qui ex adverſo ſtabat, quòd ſic clamans expiraſſet, ait. Verè hic homo filius Dei erat: igitur ad vocem credidit, ex vocę agnovit, filium Dei, & non ex facie, erat ei fortaſſis ex ovibus ejus, de quibus ait. Oves meæ vocem meam audiunt, & cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ, auditus invenit, quòd non viſus, oculum ſpecies feſellit, auri veritas ſe infundit, oculus pronunciabat infirmum, oculus fœdum, oculus miſerum, oculus morte turpiſſima condemnatum, auri Dei, filius, auri formoſus, ſed non Judæorum, qui erant incircuncíſi auribus, meritò Petrus abſcidit auriculam Servi, ut viam faceret veritati, & veritas liberaret eum, ideſt liberum faceret. Ærat ille Centurio incircunciſus, ſed non aure, qui ad unam expirantis vocem ſub tot infirmitatis indiciis Domĩnum majeſtatis agnovit, ideoque non deſpexit, quod vidit, quia credidit, quod non vidit, non autem credidit ex eo, quod vidit, ſed ex eo procul dubio, quod audivit, quia

fides

fides ex auditu, dignum quippè fuerat per ſuperiores oculorum feneſtras, veritatem intrare ad animam. Sed hic, ô anima mea ſervatis in poſterum, cum videbimus facie ad faciem, ſimiliter qui cum eo erant cuſtodientes Jeſum, viſo terremotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes. Vere filius Dei erat iſte. Omnis autem turba eorum, qui ſimul ad ſpectaculum iſtud venerant, & videntes, quæ fiebant, percutientes pectora ſua, revertebantur, ſtabantque omnes noti ejus à longe, & mulieres quæ ſequutæ erant Jeſum à Galilæa miniſtrantes ei, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Jacobi minoris, & Joſeph mater, & Salomæ, & mater filiorum Zebedei, & aliæ multæ, quæ ſimul cum eo aſcenderant Hieroſolymam. Expergiſcere nunc, ò anima mea, leva oculos tuos, ſuſpice ad dilectum Jeſum in ara Crucis torridum; quid dices hìc, quid facies & tù ò anima mea, vides quod concutitur terra, ſcinduntur lapides, omnes pectora tundunt pro morte Domini Jeſu, nunquid & nos ſilebimus, quin deducant oculi noſtri, quaſi torrentem lachrymas. Veni igitur, veni ò anima mea ad Crucem dilecti Jeſu Salvatoris noſtri; veni adoremus Agnum innocentiſſimum, procidamus ante Crucem, ploremus coram Domino, qui liberavit nos ſua acerbiſſima morte, ejulemus Domi-

no,

no, lachrymemus pio Jeſu ſalvatori noſtro, ſedeamus in ſterquilinio, & cum lachrymis non ceſſemus, doleamus, clamemus, & ſuſpiremus gemitibus inenarrabilibus, quia cecidit corona capitis noſtri, jam ſuſpira, & luge anima mea, dum extinctum conſpicis Jeſum tuum, qui te tanto charitatis fervore dilexit, exue te veſtimenta jocunditatis, induere cinere, & cilicio, quia occiſus eſt Salvator tuus, deduc quaſi torrentem lachrymas per diem, & noctem, nec taceat pupilla oculi tui, plora, & ejula, quia venit dies magna, & amara valdè, receſſit Paſtor noſter, fons aquæ vivæ, in cujus tranſitu Sol obſcuratus eſt. Sed heu mihi, ò Domine Jeſu, quia mortem tuam affectuoſa compaſſione non defleo, undè quidem mihi accidit, quod Propheta ille ajebat. Ecce quomodo moritur juſtus, & nemo percipit corde; video ſanè mortem tuam, ſed ex quanta erga me tua charitate proceſſerit, nequaquam corde percipio. Sed tù bone Jeſu, auge meæ paupertatem affectionis, & quod propriis viribus acquirere nequeo, tuæ gratiæ dono infunde, ut toto cordis affectu, ac mentis deſiderio, te diligens toto, & intimæ compaſſionis affectu, tibi quoque pro me crucifixo compatiar. Jam verò ad facti ſeriem revertamur. Sic igitur mortuo benedicto Jeſu, cum adhuc illi duo Latrones ſupervivĕrent, timentes Judæi, quoniam paraſce-

raſceve erat, ne remanerent in Cruce, corpora Sabbatho. Erat enim magnus dies ille Sabbathi, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur de crucibus. Venerunt ergo Milites, & utriuſque Latronis crura fregerunt; ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ſed unus militum qui cęcus erat, lateri ipſius Jeſu lanceam apponens illo ſacratiſſimo pectori, vulnus inflixit, & pretioſiſſimum latus aperuit. Moxque de ſanctiſſimo latere exivit ſanguis, & aqua. Cumque ſanguis per lanceæ aſtam decurriſſet, & manus ipſius militis madefeciſſet, apponens digitum oculis illicò viſum recuperavit, & qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus. Sed nunc, ò anima mea, ſede ſolitaria ad Crucem dilecti Jeſu, & caligent oculi tui à fletu, mœror, & luctus occupent faciem tuam. Suſcipe ſurſum ad dilectum Jeſum tuum, & quanta pro te ſuſtinuit meditare. Et clamans, & ſuſpirans gemitibus inenarrabilibus loquere ad dulciſſimum Agnū, qui jacet in ara Crucis ſic torridus, ſic aduſtus, ſic deformis, & cum crebris ſingultibus dices. O piiſſime Jeſu. O innocens Agne. O amantiſſime Domine, quanto plus te conſidero, quanto plus te intueor, tanto plus reperio unde tibi compatiar, ac pro tuis innumeris tormen-

mentis afficiar. Video enim illud ſacratiſſimum corpus tuum, totum laceratum, totum livoribus, & ulceribus ſaucium, tranſcurrens per ſingulas ipſius corporis partes in eo particulam non reperio, quæ ſpeciali non ſit læſione contuſa. Non video membrum aliquod, quod ſpecificè non ſit vulnere ſaucium, ità ut à planta pedis uſque ad verticem, non ſit in eo ſanitas. Stat namque venerandum tuum caput, totum punƈturis acerbis, & foraminibus vulneratum, & ſuperpoſita ſpinarum corona. Manet perfoſſum, aliſum cerebrum aſperrimis ſpinarum aculeis. Frons illa ſereniſſima tota ſanguine cruentata. Crines fulgentiſſimi cruore coagulati, & ex capite violenter evulſi, oculi lucidiſſimi velati, pugnis obtuſi, ſputis, & pulvere deturpati, & multiplici fletu ſæpius reliquati. Nares afflictæ fœtore horribili ſputorum abhominabilium Judæorum. Bucca illa ſuaviſſima fellis, & aceti, atque myrrhati vini acerbiſſimo poculo madefacta. Genæ delicatiſſimæ, & velut Sol micantes pugnis percuſſæ, & alapis frequentibus cæſæ. Aures illæ pretioſæ innumeris opprobriis plenæ. Barba tua ſpecioſiſſima impiorum obſcœnis manibus tracta, & decerpta. Collum illud eburneum acerbæ catenæ ligamine coarctatum, & lividum factum, ſpatulæ pretioſæ vaſtiſſimè Crucis onere fatigatæ. Terga veneran-
diſſi-

diſſima fuſtibus virgis cæſa. Quid plus, ò bone Jeſu, immaniſſimi tortores, brachia illa formoſiſſima liventia fecerunt virgis, & flagellis innumeris. Manus ſanctiſſimas clavis perfodere duriſſimis. Lancea quoque confoſſum extitit ſacratiſſimum pectus. Crura venerabilia flagellis dirrupta. Pedes ſanctiſſimi clavorum vulneribus ſaucii. Et demum totum corpus flagellis, & virgis afflictum, ità ut nec particula remanſerit, quæ ab acerbo dolore immunis ſervata fuerit. O pie Jeſu in nullo pepercerunt animæ tuæ. Et quare Domine tanta pertuliſti? Certè pro me. Et ego ingratiſſimus tibi compati neſcio, nec tecum dolere curo, qui tantum pro me doluiſti. Miſerere mei, miſerere dulciſſime Jeſu, quia pœnas, & tormenta non ſentio, ut deberem. Sed vulnera cor meum pie Domine, & in ſingulis membris dolorem ſentiam. Infige omnibus membris meis vulnera tua pretioſiſſima, ut ſolus te teneat intra ſe recluſum, & ſic demum cœteros ſenſus meos in obſequium tuum captiva, & ad facienda quæcunque tibi ſunt placita, omnia membra mea compone, ut omnia oſſa mea dicant. Domine quis ſimilis tibi? Et ſi nullus ſimilis tibi Domine, te ſolum volo diligere. Unde vulnera cor meum pie Jeſu tuo ſuavi amore, ut nihil cupiam, nihil quæram, niſi te ſolum Jeſum crucifixum.

Me-

Meditatio quomodo Dominus Jeſus de Cruce depoſitus extitit, & de planctu ipſius mœſtiſſimæ Matris, & cęterarum Mulierum, nec non & quomodo in ſepulchro etiam poſitus fuit, ubi, & quale fuerit ipſum ſepulchrum deſcribitur.

ADveſperaſcente jam die, cum jam Jeſus dulciſſimus mortuus in Cruce penderet, & Latronibus crura fracta fuiſſent, receſſerunt paulatim omnes, ſola ejus dulciſſima Matre cum reliquis Mulieribus ibidem remanentibus, cum gemitibus, lachrymis, & ſuſpiriis copioſis, ſine cibo, & potu, & alia quavis corporis quiete. Interim quidam duo nobiles viri Judæi occulti ipſius Jeſu diſcipuli, qui morti ejus non conſenſerant in conſilio Judæorum. Joſeph ab Arimathęa Civitate Judææ, & Nicodemus qui venerat ad Jeſum nocte. Acceſſerunt audacter ad Pilatum, & petierunt corpus Jeſu. Quibus, cum Pilatus cognoviſſet à Centurione, quod mortuus eſſet, donavit corpus Jeſu. Venerunt igitur ad montem Calvariæ, ubi crucifixus erat Jeſus, ſecum familiares adducentes, & miniſtros, ſcalaſque, & maleos, ac cętera opportuna inſtrumẽta ſimiliter portantes. Cumque ibidem applicuiſſent, glorioſiſſimam Matrem ejus reperere, cum Mulieribus ad Crucem ſedentem, flebilem, atque

mœ-

mœſtam. Hii igitur nobiles viri ad Virginem glorioſam accedentes, & amicabilibus verbis ſalutantes, & afflictam conſolantes, cauſam eidem eorum adventus exponunt, flebili nihilominus compaſſione ſecum gementes. Heu anima mea, quomodo putas beatiſſimam Matrem ſibi ipſi renovaſſe dolores, ut vidit Diſcipulos ſecum lamentantes, & extinctum ſuum Dominum deplorantes. Verum aliquale ei ſolamen, ac refrigerium eſt ei preſtitum, ut audivit, de Cruce deponendum Filium ſuum dilectum, quem in alto levatum tandiu contingere non valuerat. Serò aſſumentes hii generoſi viri cum ſuis ſervis duas ſcalas, quas ſecum detulerant, & in altum erigentes ipſas ſanctiſſimæ Cruci applicant. Et ſurſum aſcendentes ipſi viri ſpectabiles, ut ipſi de Cruce deponerent, quem magna charitate diligebant, maleos, & forcipes ferunt, ſervis ſuis ipſos adjuvantibus. Cumque clavos illos ſanctiſſimos extraxiſſent, ne corpus illud ſacratiſſimum ad terram decideret, unus ex eis, quiſquis ille fuerit, inter brachia ſua, & ſuper ejus humerum aſſumpſit, quoadusque tertius clavus evelleretur è pedibus. Quo extracto, omnes ad terram corpus venerandiſſimum deduxerunt. O fœlix Diſcipule, ſeù tù Joſeph, ſeù Nichodemus extiteris, qui dignus es habitus, ut ſacratiſſimum contingeres corpus, & in-

ter

ter tua brachia ſuſtineres, utinam ſemel mihi daretur, ò Domine Jeſu, inter meas ulnas te ſuſcipere, ut te poſſem ſtrictis amplexibus confovere. Tunc alacris dicerem. Faſciculus myrrhę dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. Aſſumpſit te ſanctus ille Symeon in ulnas ſuas, & dulcia figens oſcula, benedixit tibi, & quievit in pace. Utinam & ego ſemper te feram, ut ſignaculum ſuper brachium meum. Nullas etenim mihi poteris dare delitias majores, ò benigniſſime Jeſu, quam ut te continuè in ulnis geſtem, nunc elevans vagientem de præſepio, nunc pergentem in Ægyptum ſuper humerum portans, nunc portantem Crucem ad ſupplicii locum juvans. Et demum deponendum de Cruce cum Joſeph, & Nichodemo inter brachia mea ſumens, ut ad omnia, quę dixero, quę fecero, quæ cogitavero, ſemper ante me habeam benignum Jeſum, & hunc crucifixum.

Sed nunc progrediamur ulterius: hii igitur clariſſimi viri pedetentim leviter in terra corpus ſanctiſſimum deduxerũt, magna cum reverẽtia ipſum pertractantes: cogita verò, ò anima mea, ſed non ſine lachrymis, & pia compunctione, quid tunc agebat dulciſſima Mater dilecti Jeſu. At qui, ut arbitror, dum clavos de manibus, & pedibus excuterent, ſtabat inferius Virgo glorioſa ſurſum oculos

erectos tenens, cuncta quæ fiebant cernens, & anxiè ſuſpirans. Dumque corpus pretioſum per ſcalas deducerent, ſurſum manus extendebat, & brachia, ut corpus dilecti Filii ſuis ulnis exciperet. Nec expectare poterat, ut ipſum ad terram deponerent, quo minus & ipſa manibus ſuis deponentibus, opem ferret. Tandem depoſitum venerandum corpus ſuper nuda ſindone, quæ ad terram ſtrata fuerat, collocaverunt. O quis narrare ſufficiat fletus, & gemitus, quærelas, & ſuſpiria, quæ tunc temporis agebantur? Stabant enim circa corpus ſanctiſſimum Mater ejus, & Mulieres reliquæ omnes, cum mœſtiſſima Matre amariſſimè lugentes, & præ cęteris flebat pia Mater ſuper extincto Filio. Et corpus totum manibus ſuis contrectans, venerandam illam ſępius deoſculabatur faciem, tota quoque plena ſuſpiriis, & crebros edens ſingultus, nunc vulneribus pedum, nunc manuum frigida oſcula defigebat, totum corpus irrigans lachrymis; vix autem ex dolore poterat verba proferre. Ut verò poterat, hæc, vel ſimilia proferebat verba. Quid feciſti chariſſime Fili, ut tam turpi, ac acerba ſis morte damnatus? Quid faciet mœſtiſſima Mater tua? Heu Fili dulciſſime, omne gaudium, quod de te habui, in quantam amaritudinem eſt converſum. Hęc, & plurima verba ſimilia, quæ devotè me-

ditari poteris depromens, conſolari non poterat. Jam verò quid putamus egiſſe tunc temporis dilectam Diſcipulam Mariam Magdalenam? Credendum ſanè, quod poſt glorioſam ejus Matrem indicibili erat ſauciata dolore. O quam uberrimas, ut arbitror, fundebat lachrymas. Et lugens amariſſimè tremula voce cum defuncto Magiſtro, veluti ac ſi viveret, loquebatur. Manus quoque, ac pedes deoſculans, & lachrymis rigans, voce lugubri dicebat. Heu dulcis Magiſter, heu amantiſſime Domine, heu unice mi conſolator, heu quomodo deſolatam dilectam linquis Diſcipulam. Ad quem recurram deinceps pie Magiſter? Ad quem meum erit refugium? Heu quales nunc aſpicio manus, pedes, & caput, quos unguento perunxi. Heu mihi, quia loco odoriferi unguenti, undique exuberat ſanguis. Infœlix ego, quæ tali, & tanto ſum orbata Magiſtro, unde mihi dabitur pie Domine, qui me ſic diligat ſicut tù. Tù ille, qui ad me ſæpius veniebas, in meo hoſpitio reclinabas, & tanto me dignam hoſpite feciſti. O dulciſſime Jeſu, tù me à Phariſæo defendebas, à ſorore mea me dulciter excuſabas. Congratulabaris, quod ad pedes tuos ſederem, & tuo depaſcerer aſpectu. Laudabas me cum te ungebam unguento, lachrymas rigabam, capillis tergebam, dolorem meum mulcebas, peccata dimittebas.

Quæ-

Quærebas me, cum non aderam, & vocari me per ſororem precipiebas. O quã-ta mihi ſuaviſſime Domine, dilectionis ſigna monſtraſti. Cum me contriſtatam de morte fratris vidiſti, tù quoque mecum contriſtatus es, & cum flente inſimul lachrymatus es. Fratrem meum pro mea conſolatione ſuſcitaſti. Et quis unquam tanta tribuit, aut tribuere poterit? Hęc, & ſimilia magnis efferens ſuſpiriis, quem viventem fletibus rigaverat, lachrymis quoque aſpergere mortuum non ceſſabat; ſtabat & dilectus Diſcipulus, & extinctum ſuum Dominum amariſſimè deplorabat. Flebant & reliquæ mulieres, quę ibi aderant, horum plangentium compaſſione permotæ, lugebant & Angeli, qui & ibi continuò aderant. Sed ſuper omnes mœſtiſſima Mater fletibus ſatiari non poterat. O quam ſępius contra Judęos perfidos exclamabat impiiſſimam eorum ingratitudinem arguens. O Popule ingrate. O Plebs ſcelerata, cur meum Filium tam horribili peremiſti morte? Quid tibi fecit, ò Popule ingratiſſime hic Filius meus, aut in quo contriſtavit, reſponde mihi? Quia eduxit te de terra Ægypti, ideo paraſti Crucem Salvatori tuo? Quia eduxit te per Deſertum quadraginta annis, & Manna cibavit te, paraſti Crucem Salvatori tuo, & dulciſſimo Filio meo? Ipſe propter te flagellavit Ægyptum cum primogenitis

 ſuis,

ſtuis,& tù eum flagellatus tradidiſti? Ipſe te eduxit de Ægypto demerſo Pharaone in mari Rubro, & tù eum tradidiſti Principibus Sacerdotum? Ipſe ante te appeſuit Mare, & tù aperuiſti lancea latus ejus? Ipſe ante te præivit in columna nubis, & tù eum deduxiſti ad Prætorium Pilati. Ipſe te pavit manna per Deſertum, & tù cecidiſti eum alapis, & flagellis. Ipſe te potavit aqua ſaliente de petra, & tù eum potaſti felle, & aceto? Propter te Cananeorum Reges percuſſit, & tù arundine percuſſiſti caput ejus? Ipſe dedit tibi ſceptrum regale, & tù capiti ſuo ſpineam coronam? Ipſe te exaltavit magna virtute, & tù eum ſuſpendiſti in patibulo Crucis? O quam magna multitudo amaritudinis tuæ Domine, quam præparaſti non diligentibus te. Longum foret, ſi cuncta verba, quæ amariſſima efferebat Mater, vellemus deſcribere. Sed intenſiſſimus dolor dolentia verba formare cogebat. Tù igitur, ò anima mea intra temetipſam reducta cogita pio affectu, & tenera compaſſione, dolores Virginis glorioſæ, & crebros gemitus ſuper extincto Filio. Nunc autem redeamus ad innocentiſſimum Agnum jacentem in terra,& quomodo ſepulturę traditus fuerit proſequamur. Et quidem longo jam ſpatio magnus ploratus, & ululatus ſuper benigniſſimo Jeſu factus erat. Jamque Sol ad occaſum propere tendebat.

Tunc

Tunc nobiles illi Diſcipuli mœſtiſſimam Matrem amoventes à Filio, corpus ſumpſere ſanctiſſimum, atque in quodam candidiſſimo lintheo, ut mos eſt Judæis cum myrrha, & aloe, multiſque aromatibus odoriferis involuerunt, ligantes illud cum magna reverentia. Moxque ipſi conſpicui viri cum aliis, qui ſecum aderant, corpus levantes cum grandi reverentia, ad ſepulchrum quoddam in horto ibi exiſtens, & diſtans à loco Crucis, paſſibus quinquaginta, honorificè detulerunt, Matre glorioſiſſima cum charo Diſcipulo, & reliquis Mulieribus comitantibus eos. Quale erat ſepulchrum Domini. Erat autem ſepulchrum illud novum ipſius Joſeph, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat, ad modum quo nobiles Judæi ſua fabricabant ſepulchra. Erat enim, ut fertur, domus, ſeu ſpelunca rotunda de ſubjacente rupe exciſa. Nam lapis erat, ſeu rupis grandis in horto, in cujus latere erat monumentum exciſſum, ſeu ſpelunca octo pedes longitudinis habens, & totidem latitudinis, tantæque erat altitudinis, ut homo intrò conſiſtens, atque in ejus pavimento ſtans rectus, vix poſſet extenſa manu culmen attingere. Introitum patulum habens ab oriente, cui lapis ille magnus advolutus, appoſitus pro hoſtio fuerat. In ipſius autem monumenti parte aquilonari, ſepulchrum Domini: hic eſt locus, ubi cor-

pus Dominicum collocatum extitit, de eadem petra exciſus eſt, ſeptem pedes,& medium habens longitudinis, & à cętero pavimento altius eminens, tres palmos, & medium habens altitudinis, eandem habens latitudinem, & altitudinem. Eſt autem ipſe locus non deſuper, ſed à latere meridiano, per totum patulus, unde inferebatur corpus, ut eſſet quaſi ſarco, fagus ſuppoſitus monumento, inclinatus ſuper, latus apertum à latere habens, & non ſuperius. Color autem ipſius monumenti, & loculi rubicundo, & albo colore dicitur eſſe permixtus.

Sic igitur, ut clarius exprimatur, erat ſepulchrum Domini, ad modum domunculæ factum, intra quod erat locus, ubi corpus repoſitum extitit. Sic namque Judæorum ſepulchra, maximè quæ nobilium fieri ſolebant antiquitus, ut eorum filii ibidem poſſent ſepeliri. Propter hoc dicitur frequenter de Regibus Juda: ſepultus eſt in ſepulchro David, &c. Eſt autem ibi in eodem loco ob reverentiam Dominici ſepulchri, artificioſo opere forma rotunda, uno tamen foramine ſuperiori aperto, dominicæ reſurrectionis Eccleſia conſtructa, continens Montem Calvariæ, & locum ſepulchri, & multa loca ſacra, in qua ſepulchrum Domini eſt in quadam cella rotunda, pulchris conſtructa lapidibus, quæ olim Canonicos regulares habebat, cui loco Abbatis,

præ-

præerat Patriarcha. Igitur hi inſignes viri, ammoto lapide ab hoſtio monumenti, corpus ſacratiſſimum introduxerunt, in loculo reponentes, Matre glorioſiſſima pręſente, & à fletibus non ceſſante, Maria Magdalena, & cęteris Mulieribus conſiderantibus ſepulchrum, & quomodo poneretur diligenter cernentibus. Quibus ritè peractis, cum traherent ſera crepuſcula, noctem Mater mœſtiſſima, cum ipſis Mulieribus Hieruſalem eſt reverſa, generoſis Diſcipulis eam comitantibus, & ſingulis ad propria redeuntibus. Moxque ipſa die Maria Magdalena, & aliæ Mariæ unguenta, & aromata paraverunt, ut cum tranſiſſet ſabbathum, venirent, & ungerent corpus Jeſu. Nunc ſeriatim audiſti, ò anima mea ordine ſepulturę dilecti Jeſu, & venerandas ejus exequias celebratas. Flentes audiſti Diſcipulos, & Mulieres, & Matrem glorioſiſſimam. Nunquid & tù, tam crudelis, & dura eris cervice, ut & tù pias, & lugubres exequias non celebres cum ſanctis his Mulieribus dilecto Jeſu? Ad te confugio clementiſſime Domine, ut des mihi fontem lachrymarum. Non enim habeo, quid dicam, niſi ut in me metipſum invehar, & ejulans, ac clamans dicam: heu mihi, heu mihi, heu miſerum me, & omni infelicitate miſerum, quia aruit cor meum intra me, & in meditatione mea refriguit ignis, heu infęlix ego.

Nam omnes Dominum meum lugent, & ego ad lachrymas non moveor. Omnes triſtantur, & plangunt, & ſuſpirant pro morte Domini ſui, & ego cor habens lapideum dolere neſcio, vhę mihi. Quare, & ego Redemptorem meum non plango mortuum? Salvatorem meum extinctum? & unicum mihi benefactorem pro me turpiter ſic occiſum? heu mihi, & iterum heu, undè me excuſem non habeo? Parentes etenim ſpirantes vidi, & multis eos deploravi fletibus. Fratres quoque meos, & benevolos, quos ſecundum carnem diligebam, dolens, & mœſtus flevi, & nunc in mei Redemptoris morte pauculas fundere lachrymas nequeo. Hic mihi pluſquam pater, aut mater fuerat. Illi namque mihi corpus hoc putridum ex viliſſima materia tradidere; iſte mihi intellectum, atque animam præbuit duraturos perpetuò. Ab illis habui carnem hanc lutoſam, totam ſordibus plenam, & ad vitia pronam. Ab iſto verò memoriam, voluntatem, intellectum, rationemque ſuſcepi. Illi ſemper cauſam, occaſionemque dedere, ut ad inferna demergerer, ibi perpetuis cruciandus tormentis. Iſte mihi regnum Cœleſte paravit, cur igitur non ſic lugeo hunc Dominum meum, Redemptorem meum, Salvatorem meum, ſolatium meum, gaudium meum, refrigerium meum,? Sed clementiſſime Jeſu pater miſericordiarum,

rum, & Deus totius conſolationis, illos lugebam, quia diligebam, quia igitur te non diligo, dolere in tua morte non valeo. Si te diligerem bone Jeſu, intenſo cruciarer dolore, non habeo quid dicam dulciſſime Domine, niſi hoc ſolum quod concupiſcit anima mea diligere te fontem vivum. Tù igitur me inebria torrentem voluptatis amoris tui, & cor meum vulnera, ut totum in ſe deficiat tui amore, amplius noli tardare, quia deſiderio amoris langueo. Reſpice de Cœlo, veni dulciſſime Domine, & vide, & viſita animam meam. Ciba me pane lachrymarum, & potum in lachrymis da mihi in menſura, tunc vociferans clamabo, & dicam. Quid feciſti benigniſſime Domine? Quare pro me viliſſimo tù altiſſimus aſcendiſti in Crucem, & pro me ſic turpiter occiſus es. Veni igitur, ò anima mea ex quo viſitavit te, oriens ex alto, veni ad funerales exequias Domini mei Jeſu. Non ceſſes à gemitibus, lachrymis aſpergere ſepulchrum, & crebra emittens ſuſpiria, ejulans de ſingultibus duris dicas. Heu, heu Domine, heu Redemptor meus, heu, heu Salvator meus, quaſi te morte turpiſſima condemnatum cerno. Venite omnes, qui amore dilecti Jeſu ardetis, & mecum flete, nàm pupilli facti ſumus abſque patre, matres noſtræ viduæ, heu, heu benigne Domine. Creſcat continuè fletus noſter, nam cecidit

coro-

corona capitis veſtri; vhæ vobis quia peccavimus? Spiritus ori noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris. Defecit in dolore vita noſtra, & anni noſtri in gemitibus. Quis dabit capiti noſtro aquam, & oculis noſtris fontem lachrymarum, & plorabimus die, ac nocte benigniſſimum Dominum? Faciamus nobis planctum amarum ſuper dulciſſimum Jeſum. Exuamus nos veſtimentis lætitiæ. Induamur cinere, & cilicio. Sedeamus in terra, & ploremus, nec taceat pupilla oculorum noſtrorum. Clamemus voce, & lachrymis, heu, heu benigne Domine, venite ò fideles populi ad ſacras Jeſu exequias. Fluant ex oculis lachrymarum fontes ſuper extincto corpore Jeſu. Erumpant è corde ſuſpiria pro tanto impietatis ſcelere. Totius bonitatis Dominus, heu hodie crucifixus eſt. Demiſſo itaque terræ capite, inconſolabiliter ejulemus, & mœrore cordis ſaucii à fletibus non ceſſemus. Tui igitur Jeſu piiſſime planctum ſervuli conſpice, pupilli tui ſuſpiria non aſpernas, ò Salvator. En breviſſimo tumulo reconditus es Domine; ò dulcedo ſuaviſſima ad nos citò revertere expectamus, te anxiè videre Regem gloriæ, veſtitum ſtolla candida, Principem cœleſtis Curiæ.

Me-

Meditatio quomodo Judæi, cuſtodes ad Sepulchrum Domini poſuerunt, & quomodo dum corpus ipſius in ſepulchro quievit, anima ſua deſcendit ad Inferos, ubi innumerabiles Populos liberavit.

OCciſus eſt benigniſſimus Jeſus, & ſepulturæ traditus, nec adhuc ſedatur perfida rabies Judæorum; nam die, quæ eſt poſt paraſcevem, hoc eſt die Sabbathi, convenerunt Principes Sacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens: poſt tres dies reſurgam. Jube ergo cuſtodiri uſque in diem tertium, ne fortè veniant Diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant Plebi: ſurrexit à mortuis, & erit noviſſimus error pejor priore: Quibus Pilatus reſpondit, habetis cuſtodiam: Ite, & cuſtodite, ſicut ſcitis. Illi autem abierunt, & cuſtodes ad monumentum poſuerunt, ſignantes lapidem ſigillis ſuis. Nunc ecce audiſti, ò anima mea, quomodo ſepultus eſt benedictus Jeſus; non igitur taceas meditari devotè, quidnam fecerit, & quo ierit anima ipſius Jeſu, eo temporis ſpatio, quo ſacratiſſimum corpus jacuit in ſepulchro. Et quidem magna, & grandia operata eſt anima ipſius Jeſu, dum corpus in ſepulchro quievit. Ad inferna namque deſcendit, tenebrarum, &

mortis principem colligavit; legiones ipſius perturbavit: Portarum inferni vectes ferreos fregit. Omnes juſtos, qui originali peccato aſtricti tenebantur, abſolvit. Captivos in libertatem priſtinam revocavit. Peccatorum tenebris excœcatos ſplendida luce perfudit.

Audi ergo quid fecerit noſtrę ultionis defenſor. Mox enim, ut ſpiritum reddidit, unita ſuæ divinitati anima ad infernorum profunda deſcendit. Cumque tenebrarum terminum quaſi quidam depredator ſplendidus, & terribilis attigiſſet, aſpicientes eum impiæ Tartari legiones, territæ, ac trementes inquirere potuerunt, dicentes: undè eſt iſte tam fortis, tam ſplendidus, tam præclarus, tam terribilis? Mundus ille, qui nobis ſubditus fuit, ſemperque noſtris uſibus mortis tributa ſoluit. Nunquam nobis talem mortuum miſit. Nunquam talia inferis munera deſtinavit. Quis igitur iſte eſt, qui ſic intrepidus noſtros fines ingreditur? Quia non ſolum noſtra ſupplicia non veretur, inſuper & alios de vinculis noſtris abſolvit. An fortè ipſe eſt ille, de quo Princeps noſter paulò antè dicebat. Quod per ejus mortem totius mundi accipiet poteſtatem. Sed ſi iſte eſt, in contrarium eſt noſtri præliatoris verſa ſentētia. Et dum ſibi vincere viſus eſt, ipſe potiùs victus, atque proſtratus eſt. O Princeps noſter, hic enim eſt ille, de

decujus tibi ſemper futura morte plaudebas. Ipſe eſt, in cujus Cruce omnem mundum tibi ſubjugandum eſſe credebas. Ipſe eſt, in cujus exitu tanta nobis ſpolia promittebas, quid eſt, quod egiſti? Quid eſt, quod facere voluiſti? Ecce jam totas tenebras ſuo ipſe ſplendore fugavit, & omnes carceres fregit, captivos ejecit, ligatos ſolvit, luctus eorum in gaudium commutavit. Ecce ipſis, qui ſub noſtris ſolebant ſuſpirare tormentis, inſultant nobis de perceptione ſalutis. Et non ſolum jam nihil verentur, inſuper comminantur. Nunquid hic ità ſuperbi erant mortui, nec ait quando ſic potuerunt læti eſſe captivi, ut quid huc iſtū adducere voluiſti? quo veniente omnes ſunt lætitiæ reſtituti, qui ante fuerant deſperati. Nullus hic ſonitus, nullus eorum jam mugitus auditur. Nullus eorum reſonat gemitus, ò Princeps noſter illas tuas divitias, quas primò acquiſieras per Paradiſi ammiſſionem, nunc perdidiſti per Crucem, periit omnis lætitia tua, in luctum converſa ſunt omnia gaudia tua. Dum tù Chriſtum ſuſpendiſti in ligno, ignoras quanta damna in Inferno ſuſtineas, providere verò poteras, quia everſorem Regni tui in mortem ſine reatu aliquo perducebas. Attendens cauſam, acquirens culpam, in quo nihil mali cognoveras, quare ad noſtram eum patriam perducebas? Iſtum liberum adduxiſti,

xiſti, & totos obnoxios perdidiſti:

Poſt iſtas crudelium infernalium voces, ſine aliqua mora, ad imperium Domini, ac Salvatoris omnes ferrei confracti ſunt vectes. Et ecce ſubitò innumerabiles Sanctorum populi, qui tenebantur in mortem captivi, ſuis genibus obvoluti lachrymabili eum obſecratione, depoſcunt, dicentes. Adveniſti Redemptor noſter, adveniſti, quem deſiderantes quotidiè ſperabamus; adveniſti, quem lex venturum nobis nunciaverat, & Prophetæ; adveniſti donans in carne vivis indulgentiam peccatoribus Mundi, ſolvere captivos defunctos inferni, deſcendiſti pro nobis ad inferos, noli nobis deeſſe, cum fueris reverſus ad ſuperbos, poſuiſti gloriæ titulum in ſæculum, pone ſignum victoriæ in inferno. Nec mora, poſtquam audita eſt poſtulatio, atque altercatio innumerabilium captivorum, ſtatim Domini juſſu, omnes antiqui Juſti, jura poteſtatis acceperunt, atque in ſuos tortores ipſi protinùs tormenta convertunt, humili ſupplicatione cum ineffabili gaudio clamantes Domino, ac dicentes. Aſcende Domino Jeſu, expoliato inferno, & auctore mortis ſuis vinculis irretito. Redde jam lætitiam mundo: jucundetur in aſcenſum tuum fideles tui aſpicientes cicatrices corporis tui: hoc fecit Jeſus, ſicut eſt ſuperius indicatum. Et facta præda in inferno,

ani-

anima illa ſanctiſſima ad corpus rediit in ſepulchro. Deo gratias. Amen.

FINIS.

Si conſurrexiſtis cum Chriſto,



quę ſurſum ſunt quęrite, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.

Google

8-1

Google